

www.e-rara.ch

De diptycho Brixiano Boethii consulis epistola epigraphica ...

Hagenbuch, Johann Caspar

Turici, 1749

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: 7.12 | F

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-88323>

Principi eminentissimo [...] Quirino Jo. Caspar Hagenbuchius eu prattein. Pars secunda anaskeuastikē.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



PRINCIPI. EMINENTISSIMO
ANGELO. MARIAE. CARDINALI
Q VIRINO

JO. GASP. HAGENBVCHIVS

EΥ ΠΡΑΤΤΕΙΝ.

Brixiam.

PARS SECVNDΑ ANΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ.

XVI.

Diptychum Boëthii Brixianum ineditum.

----- Νῦν δὲ μνησώμεθα χάριτος
Αἴψα μάλ'. εἰ γὰρ χρὴ κλοισπεύειν ἐνθάδ' εὐνοίας,
Οὐδὲ διαλίθειν. εἴτι γὰρ μέγα ἔργον ἄρεκτον.



INGVLAS singulorum diptychi Brixiani interpretationes æstimaturo,
qua lege & qua conditione th. II. & V. præmonstravi,

Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.

Divinus Scaliger indicis Gruteriani caput XXII. consulare esse iussit,
Smetii exemplum secutus. Qui post Smetium atque Gruterum ma-
gnas Inscriptionum Collectiones posteris reliquerunt indicibus instructas, quales sunt
Reinesiana, Doniana, Gudiana, Muratoriana, indicem singuli consulum dare non
neglexerunt: sed ratione usi diversa, Smetianum illi morem, hi Scaligeranum magis
æmulati sunt. ne nunc dicam, quo modo inter se differant Smetii imitatores, quo
item qui Scaligeranam viam inire conducibilis putarunt. Quid? quod Collectorum
magnorum postremus, MVRATORIVS, novam Classẽ ipsarum Inscriptionum con-
stituit, *quintam*, CONSVLVM, in qua comparere debuisset ad a. Cti 219. pag. 354.
(loc. 3.) saxum ab Mur. Class. III. pag. 160. loc. 6. datum, cujus verba postrema,

G

Tinejam

Tinejam gentem consulis *Sacerdotis* omnibus Faكتورum illustratoribus ignotam doctentia, nuper in epistola ad Inl. Maffeiū sic emendavi,

I M P eratore A N T O nino
Domino Nostro II. ET. TINE
IO. SACERDOTE. (II. COS.)

Qui indices consulares Smetii, Gruteri, Reinesii, Donii, Gudii, Muratorii, huiusque classem quoque consularem, labore magno evolvit, nã is Boethii diptychon consulare nusquam relatū leget. Quare inscriptionem diptychi Boethiani merito ineditam dico, more meo: quo, ut ad Gorium V. C. p. 439. *lin. 27.* scripsi, inscriptiones non modo ex MSS. haustas, aut nuper ex terra erutas, sed & ab aliis jam editas, at in collectionibus magnis nondum inveniendas, in INEDITARVM numero censere soleo.

In Muratoriano Thesauro, in quo sexcenta & amplius repetitarum Inscriptionum exempla insunt, Brixianum Diptychum ne semel quidem memoratum esse, quis crederet? Si Tomo primo intexere ex Diario Veneto neglexit, cur vel ex TVA ad CL. de BOZE epistola, mense Octobre 1742. exarata, non adtexuit vel cum Richterianis Tomo IV. cui a. 1743. mense Martio præcipite est præfatus? Hancne omissionem temporum tribuemus calamitati? qua virum summum iuvandarum literarum commodo privatū esse, ejus de diptycho TVO epistolam daturus, ad Cl. BOZIVM pag. (XIV.) moerens scripsisti. Gratia TIBI debentur tanto majores, QVIRINE magne, qui Boethii diptychum non modo delitescere minime es passus, sed eidem explicando signum quoque sustulisti. v. th. VII. *extr.*

XVII.

Bonarota diptychum Boethii non illustravit.

Quod si celeberrimi Polyhistoris, Jo. Alberti FABRICII, verbis fides posset adhiberi, clarissimus Senator Florentinus BONAROTA Diptychum Boethii primus illustrasse perhibendus esset. Ita enim legimus in FABRICII Bibl. Lat. T. III. p. 579. „Diptychon Boethii Consulis quod *Brixia* à Julio Barbifono Patre Congregat. sacri Oratorii asservatur, illustrat Philippus Bonarota in Diario Veneto eruditorum Italiae „Tom. XXVIII. pag. 39. Idem pag. 1. seq. videndus de aliis tribus diptychis *Florentinis.* „ Fefellit se ipse vir literatissimus, non animadvertens, Diarii Veneti Tomi XVIII. Articulum I. p. 1. seqq. de Bonarotæ diptychis agere: Articulum vero II. pag. 39. seqq. ad Bonarotam nihil pertinere, & totum a Diarii ipsius auctoribus prolatum esse, postquam de Bonarotæ libro dicere desierunt. De Tomi Veneti XXVIII. Articulo primo dixi supra th. XI. de secundo autem th. VII. lit. A. De ipso Bonarota TVO, ejusque libro, th. XV. Errasse FABRICIVM docent Diarii Veneti Articuli secundi prima statim verba hæc: *L'occasione di aver parlato nell' Articolo antecedente de i Dittici di avorio, bravamente esposti dal Sig. Senator Buonarruoti, ci dà campo molto opportuno di publicarne un' altro insigne del famoso BOEZIO.* Quam recte, quam

quam vere se habent, quæ ad Cl. BOZIVM a TE sunt scripta pag. (XXV.) *init.*
 „Tandem ut fidem, qua Tibi me adstrinxi, omnino liberem, verba faciam de in-
 „signi Diptycho, quod Brixia possidet illustris Barbifonia familia. Ipsum æri inci-
 „sum exhibet Tomus XXVIII. *Ephemer. Erudit. Ital.* describitque occasione sumpta ex
 „relatis in superiori Articulo doctis Bonarotii Observationibus ad eburnea tria
 „Diptycha.”

XVIII.

Trigæ Brixianorum explicatio diptychi Boëthii.

Paulum GALEARDVM, Ecclesiæ TVAE Cathedralis Canonicum, cujus mor-
 tem graviter doles epistolæ TVAE pag. (XXV.) merito gaudemus de illustrando
 diptycho Boëthiano sollicitum fuisse, & Philippum a TVRRE, ut in eodem expli-
 cando desudaret, sollicitavisse. id quod ab studiis literarum, quibus GALEARDVS
 TVVS gnaviter incubuit, minime abhorrebat: fuisse enim antiquis inscriptionibus
 mire deditum ab Inl. Maffeo Ant. Gall. sel. epist. XVII. *init.* scriptum est.

Ex eadem epistola TVA trigam eruditorum Brixianorum intelligimus sic legisse
 verba Diptychi. *Novo Anno Rursus MANLIUS BOETHIVS Vir Clarissimus ET IN-*
Luster EXPræpositus Palatii (ita Pater Oratorii; at Galeardus & Averoldus *EXPræ-*
fectus Prætorio) *PræpositVS* (scil. sacri cubiculi) *Et Comes CONSUL ORDINARIUS ET*
PATRICIUS. Quid aliis ante nos, quid nobis de Brixianorum explicatione videatur,
 ita exponemus, ut ordinem vocum diptychi sequamur.

α. N A R. *Novo Anno Rursus.*

„Le prime lettere NAR, non occorrendomi altro di meglio, facilmente con
 „quel dotto Padre dell' Oratorio le interpreterei, *Novo Anno Rursus*, essendo questo
 „il secondo Consolato di Boezio. Sol che, se avesse a parlarsi con pura latinità,
 „non accommoderebbe quel *Rursus*, mentre gli antichi scrissero, *iterum Consul*; e
 „appunto tutto al proposito Claudiano comincia il poema del secondo Consolato di
 „Onorio: *Auspiciis iterum se se regalibus annus Induit &c.*” Hæc a TVRRE epistolæ
 TVAE pagina (XXVI.) *init.* Fallitur eximie eximius Præsul Adriensis, quem suam
 ad Galeardum responfionem puto scripsisse procul a libris; quod me hæc ejus verba
 docent, *non ho qui verum libro.* Locum certe Claudiani, quem unice ad rem facere
 arbitrabatur, non ex libro Claudiani, sed memoriter adposuit, nescius eum legi ini-
 tio poematis Claudiani de QVARTO Consulatu Honorii Augusti, a. Cti 398. non
 de SECVNDO, a. Cti 394. Nonne autem sermone purissimo, latinitate castissima,
 Claudiano pro *iterum* licuisset synonymum *rursus* seu *rursum* scribere, & Panegyri-
 suam de IIII. Consulatu Honorii sic incipere?

Auspiciis RVR SVM sese regalibus annus

Induit, & nota fruitur jactantior aula.

Si *auspiciis ITERVM regalibus* jungas, poëta consulatum Imperatoris non secundum,
 sed quartum, *auspicia* vocat *ITERVM regalia*, quæ erant non secunda, quippe tertiis

a. Cti 396. jam celebratis, sed omnino quarta. Sin ITERVM *sefe annus induit con-*strinas, ea ratione dictum est, qua singulorum annorum initia commode dicuntur. Annum enim quemque ineuntem ex exeunte in se revolvi & redire olim dixere. Brixianum Anno Novo *Rursus* (sc. existente, vel exorto) idem plane significat, quod Parisiense Anno Novo *Redeunte*. Brixianis interpretibus æque ac Parisiensibus NAR ita interpretatis, ut singulæ literæ seu tres siglæ initium integræ vocis habeant, ne in mentem quidem credo venisse consulatus secundi a Boëthio gesti. Alterum Boëthii consulatum sigla *Rursus* si credidissent doceri, non minus errassent, ac ipse Philippus a TVRRE. Fac enim, non minus latine *consul rursus* dici, ac *consul iterum*, vel *bis*, vel *secundo* aut *secundum*: quis ferret, *rursus* seu *bis consul* in diptycho tanto vocum intervallo sejungi, Anno Novo *Rursum* (seu BIS) MANL. BOETHIVS EXPPPVSEC CONSul ORDinarius? Cur 7^o *Rursum* (seu BIS) non proximæ vicinæ 7^o CONS. ORD. positum esset? Quonam exemplo discimus, BIS ita, interjiciendis ipsius consulis non nominibus tantum, sed etiam dignitatibus aliis, a CONS. ORD. divelli? Sive Brixianorum mentem non adsecutus sit a TVRRE, sive Brixiani ante hunc de secundo Boëthii consulatu cogitarint, Boëthium philosophum bis consulem fuisse, doctrina QVIRINI Episcopo Adriensi merito contraria egregie negavit pag. (xxvii.) de Boëthiisque consulibus infra th. xxx. dicendum nobis erit, si diversas interpretum Diptychi sententias ordine continuo proposuerimus.

β. INLuster.

Ita Brixianos dixi legere. qui si INL. sine interpretatione prætermiserunt, TV quidem certe *Inluster* legisti, QVIRINE illustrissime, de Brixianorum interpretatione acturus pag. (xxv.) Neque aliter Parisienses, forte TE tantum auctorem secuti. Adjectiva quædam tertiæ declinationis ut dupliciter desinunt, sic bifariam moventur, ut *hic celebr*, *hæc celebris*; & *hic* & *hæc celebris*. An eodem modo non tantum *hic* & *hæc illustris*, sed etiam *hic illuster*, *hæc illustris* olim declinatio transversa fuerit, cupio doceri: tanto magis, quod desinentium in ER superlativus desinit in ERRIMVS. *Illusterrimus* autem nemo dixit a positivo *Illuster*: sed tantum *Illustrissimus* ab masculino positivo *Illustris*. De INLustris pro ILLUstris forte Parte III. quædam videbimus.

γ. EXPræpositus Palatii.

Præpositura hæc a Brixiano Patre Oratorii prolata, neque Galeardo neque Philippo a Turre satisfacit. Ita enim ad Galeardum scribit a TVRRE. „Veramente, „come anche ella avvifa, non credo che si trovi la dignità di *Præpositus Palatii*. „ Dignitatem hanc nusquam inveniri, male existimant. Reperitur enim in Grut. 161:1. NARSES. VIR. GLORIOSISSIMVS. EX. PRAEPOSITO. SACRI. PALATII. EX CONS. ATQVE. PATRICIVS. de quo Alemanni verba adtuli ad Bouh. p. 288. *med. Præpositus sacri palatii* notiore nomine est *Præpositus sacri cubiculi*. v. Guther. de Off. Dom. Aug. lib. 3. cap. 29. Boëthius de Consol. Philos. lib. 1. prosa 4. Triguillam *regiæ præpositum domus*, vocavit, qui Valefio haud alius est Triwane *Præposito Cubiculi* in Excerptis, quæ post Amm. Marcellin. leguntur p. m. 722. *extr. not. d.* Si EXPræpositus

positus Palatii locum habere deberet, num literis, quæ in Diptycho statim sequuntur, PVS venuste & belle *PræpositVS* (sacri cubiculi) iterum significaretur? Vox *Præpositi* sigla unius P. notari numquam consuevit, sed duobus PP. de quibus anno in commentario ad lapidis Turicensis versum septimum pag. 500. seqq. & nuper in mantissa literarum X. Kal. April. 1748. ad TE missarum egi. LEICHIUS noster de Dipt. pag. (XXVI.) Brixianorum eruditorum conjecturas exponens *EXPræpositum Palatii* ne attingit quidem, haud dubie quia *EXPræfectus Prætorio* ei se magis commendabat. Nam

δ. *EXPræfectus Prætorio*

Brixianorum altera est interpretatio, eaque verissima, a BOVHIERIO quoque, & LEICHIUS, & me pridem recepta. de qua Parte III. dicendum erit. Ceteri interpretes, quotquot de EXPP in alia omnia iverunt, ipsam sententiam hanc, a qua discesserunt, ullis argumentis infirmare conati non sunt. Phil. a TVRRE quod opponeret quum non haberet, ex hac interpretatione tantum argumentatus est contra Brixianam siglarum PVS interpretationem, ad quam pergo.

ε. *PræpositVS* (sacri cubiculi)

Brixianis placuit, non Philippo a TVRRE. Hic enim arbitratur, si ea lectio vera esset, post tertium P literam C addi debuisse, ut LEICHIUS loc. cit. observat. En ipsa Adriensis Episcopi verba. „Mi perdoni se non ammetto nè anche il pensiero „di lei, e del Signor Averoldi, soggetto da me tanto stimato e riverito, *Expræfectus „Prætorio Præpositus Sacri Cubiculi*. Due sarebbero le Dignità espresse in queste parole, „una di *Expræfectus Prætorio*, l'altra di *Præpositus Cubiculi*. Ma se alla prima si è posto „il distintivo *Prætorio*, significato col secondo P, anche alla seconda si farebbe accoppiato un C dopo il terzo P per indicare il *Cubiculi*. „ Non post tertium P, sed post PVS, adeoque post S demum addi debuisse ὁ C, innuit verius, quam scribit. Si *Cubiculi* vel *Palatii* vox esset adjecta, res Brixianorum omnis esset in vado.

Ita *Vir Illustris* EXQVAESTOR SC. P. (i. e. *SaCri Palatii*) legitur in Mur. 405:2. ad a. Cti 439. „Alter *Festus* Consulatum gessit Anno Christi 472. ac proinde incertus „sum, sit - ne huic Anno, an alteri illi affigenda Inscriptio ista. „ MVR. Nesciebat jam fuisse datam ab Rein. XX: 374. p. 984. ubi quod in fine ob consulem *Decim* adscriptum est, A. D. 486. extra saxum in margine rectius fuisset positum, v. ad Bouh. p. 342. lin. 6. de *Festi* autem Consulatu prorsus tacetur, ut & index Rein. 22. seu Consularis *Festum* consulem ex XX: 374. ignorat. Reinesius vero ipse ad *Class. I. Inscr. XI. pag. 28. init.* hæc notavit: „Festi duo è Consularibus Fastis noti; alter cum „Theod. A. XVII. A. D. 439. alter cum Marciano A. D. 472. ad quem Inscriptio „Grut. 1057: 5. & illa de *Prætextato ExQuæstore Palatii* 371. (corrig. 374.) *Cl. XX.* „pertinet. „ Ex suo quisque ingenio statuat, utrum cum Muratorio fluctuari malit, an cum Reinesio sentire, inter patris & filiae in eodem monumento inscriptorum mortem annos tantum XIII. non XXXIII. intercessisse. Reinesiana sententia placuit & Relando *Fast. p. 650. ad a. Cti 472. titulum Prætextati adferenti, & p. 660. ad a.*

Cti 486. filiae ejus Prætextatæ, utrobique ex Fleetwoodo tantum; non ex Reinesio, quem de Festo consule a. Cti 472. accepisse uterque facile ignorarunt.

In Prætextati titulo, V. I. EXQVAESTOR SC. Palatii, epitheton SC. (*sacri*, de quo ad Bouh. p. 292. *extr.*) omitti potuisset. quomodo Cassiodorus *Exquestor palatii* in MSC. Lipsiensi postea nobis citando dicitur; & *Præpositum Cubiculi*, omisso adjectivo *sacri*, ex Anonymo Valesiano paullo ante lit. 2. adtulimus. quæ 7^{is} *sacri* omisso Philippum a TVRRE non moraretur; moratur autem eum genitivus *cubiculi* vel *palatii* per ellipsin omissus. Neque mihi placet hæc in diptycho Brixiano ellipsis: pro Brixianis tamen interpretibus dici potest, sæpe *præposituras*, *præfecturas*, *procuraciones*, cet. referri, suppressis genitivis, seu rebus quarum illæ fuerint. Exempla, ex multis pauca, adduco.

Grut. 721: 10. *Brixia ad D. Agatham.* FL. LVVPO. EX. PRAEP. AVRELIAE SEVERINAE MATRI cet. Cujus rei aut quorum hic fuerit EX PRAEPOSITUS non est additum: additur vero in Muratorio, qui ut ineditum dat, 1257: 8. *In Sancta Agatha agri Brixiani. E schedis Farnesii.* FL. VPPIO. EX. PRAEP. AVGVR. SEVERINAE. MATRI cet. Quam ibi dederat notulam MVRATORIVS „id est: EX PRAE-
„CEPTO AVGVRVM.“ quasi EX PRAEC. non EX PRAEP. legeretur, aut legendum esset, eam Tomo IV. in *Addendis & Corrigendis* jubemur delere, & scribere „Id est *Ex Præposito*, seu *Ex Præpositis Augurum.*“ Hanc *Ἐξ ἀρχιερέων* nescio an *σοφιστῶν* habere liceat. Longe enim præstare videtur Gruteriana lectio AVR. i. e. AVRELIAE, quæ omnem *Augurum* mentionem procul arcet. Est autem aliud, quod de EX. PRAEP. nos incertiores facere possit, de quo in ed. Grut. sec. 721: 10. monere neglexerunt, in Grut. 356: 3. latere tertio legi, FL. LVPIO. EX. PRAEP. P. AVR. SEVERINAE MATRI. qua lectione si standum est, EX. PRAEFFECTO Pratorio legitur relatus. At quum Gruterus textum hunc nonnisi *ex Apiano* dederit, non debuit quod *Apianus fol. 59.* habet EX. PRAE. P. adjecta F. litera in EX. PRAEP. P. augere. Potius, sublato puncto, exit EX. PRAEP. commodissime, ut e schedis Verderianis alter Gruteri typus 721: 10. pulcre sistit. Quia saxum est Brixianum, TVAE erit sapientiae, Antistes Brixianorum sapientissime, de eo nos docere.

Mur. 681: 1. M. AVRELIO. FIDELI. EX. PRAEPOSITIS. cet. „Complura fuere „apud Romanos *Præpositorum*, tum Civilium, tum Militarium genera. Quo igitur „munere functus hic fuerit, quis divinare possit? „ MVR. Addo, *Præpositorum* quoque genus in Officiis domus Augustæ frequenter occurrere: qualis PRAEPOSITVS nullo subjecto genitivo legitur in Rein. IX: 68. p. 577.

DIIS MANIBVS
 EPAPHRODITO OLYMPI
 AVG. LIB. RESPECTVS
 PRAEPOSITVS
 FECIT POSTERISQVE
 CONSERVIS.

Probo, quam qui maxime, mediam Reinesiani commentarii partem. RESPECTVS, inquit, cui rei Praepositus, aurine potorii, an argenti escarii, an ab auro gemmato, à Crystallinis an à rationibus (hos enim & longe plures Praepositos aula ferebat) fuerit, adhuc quaerendus erit. Reliqua, quae doctrina Reinesii ibidem partim praemisit, erudita licet sint, ad rhombum tamen meo quidem iudicio nihil faciunt, neque ullam faxo adferunt lucem. Epaphroditus enim Olympi, Augusti liberti, servus accipiendus. hinc in extremo faxo CONSERVIS. Habebant Liberti suos Libertos, nedum Servos. at cuius Augusti libertus Olympus hic fuerit, nescire cogimur. Lapidem hunc Reinesianum, ac si antea non prodisset, dederunt Gorius in Don. VII: 27. p. 286. & Mur. 930: 5. Donianus Gorii index, & Reinesianus, hunc Praepositum nusquam ostendunt. Muratorio autem indice XI. placuit Praepositus Libertorum Aug. 930: 5. Suffecisset Praepositus. 930: 5.

Amm. Marcellin. 29: 2. de Hypatio, qui & majorum claritudini gloriae fuit, & ipse posteritatem mirandis actibus PRAEFECTVRAE GEMINAE decoravit. An GEMINAE urbanae? uti in Saturnini titulo Reinesiano Adp. num. XX. pag. 1022. illustris Urbanae Praefecturae GEMINAM dignitatem legimus. v. ad Bouh. p. 331. lin. 36. An GEMINAE Praetorianae? uti Probus, Praefectus quartum, legitur Bis GEMINA populos praefectus sede gubernans in Grut. 450: 4. 5. v. ad Bouh. p. 220. lin. 18. Immo Hypatii Praefectura fuit GEMINA, i. e. urbana altera, altera Praetoriana. „GEMINAM PRAEFECTVRAM cum ait Ammianus, intelligit Praefecturam urbis, quam gessit A. 379. „ut docet lex 26. infr. quorum appellat. & Praefecturam Praetorianam, quam gessit A. 382. 383. vid. Indicem Personarum, & Consularia Theod. Eidem sane inscribitur mox lex 15. infr. h. t. Cujus autem Praefecturae Praetorianae Praefectus fuerit Hypatius, docet subscriptio hujus legis, PP. Karthag. vid. & d. l. 15. infr. „ Hæc. Jac. Gothofredus ad Lib. XI. Cod. Theodof. tit. 16. de extraordinariis sive fordidis, leg. 13. unde docemur, in nota Valesiana ad Amm. Marc. p. m. 610. a. de Hypatii praefectura urbis pro eodem anno legi debere a. Cti 379.

Idem Marcellinus 19: 12. Simplicius Philippi filius ex Praefecto & Consule. ad quae verba Valesius hæc commentatur p. m. 249. b. not. o. „Philippi ex Praefecto & Consule.] Consul fuit cum Sallia anno Domini 348. eodemque anno Praefectus Praetorio Paulum ex Constantinop. sede, quam Romani Pontificis litteris munitus receperat, expulit jussu Constantii, impiumque Macedonium restituit, ut ex Athanasii „Apologia ad Constantium, & ex Actis Pauli Constant. aliisque discimus „ cet.

Nos infra th. XXIX. Ammianum longe simplicius non de Simplicii patre, Philippo, sed de Simplicio ipso *Ex Praefecto & Consule* explicabimus.

Boëthium, qui numquam consul fuit, amicum Aëtii patricii, cum quo & occisus est, Victor Tununensis ad a. Cti 454. vocat PRAEFECTVM. Cui rei? Tacet. Fuisse Boëthium illum *Praefectum Pratorio* novimus ex Chronicis Prosperi & Cassiodori ad eundem annum.

Ita pro Brixianis interpretibus, quibus in Diptycho Boëthii consulis EX*Praefectus Pratorio*, *Præpositus*VS (sacri cubiculi) placuit, dici potest, ellipsin genitivi *cubiculi* aut *palatii* eos minus habuisse sollicitos, quia quæ præcefferit Præfectura Pratorii satis docere putaverint, *Præposituram* intelligi primariam, summam, adeoque *præposituram* sacri cubiculi seu palatii. Cui eorum opinioni non tam ellipsin genitivi, ut ab a TVRRE factum est, opposuerim, quam quod lit. γ. Patris Oratorii EX*Præpositum Palatii* evertere dixi, siglam *Præpositi* non uno P, sed geminatis literis PP. scribi consuevisse.

Num ergo in Brixianorum quis gratiam EX*Præpositus* (cubiculi five palatii) *Praefectus*VS (urbi, pratoriove) leget? Non dubito, fore paucissimos, aut nullos potius, quibus hæ genitivi & dativi ellipses durissimæ, & incertissimæ, in diptychisque insolitæ, admitti posse videantur. Contemnent eas profecto plerique omnes, quibus *Praefectus Vrbi SECundum*, de quo Itolorum interpretum nemo cogitavit, non minus, spero, probabitur, ac EX*Praefectus Pratorio*, qui Brixia primùm conjici optime cœptus est. ita enim fiet, ut dignitates diptychi quamvis brevissime, nil minus tamen quam elliptice incisæ intelligantur.

Ante, quam hinc abeam, haud alienum videtur addere, non de lapide, sed de codice MSC. Lipsiensi (ex quo *Exquestor pallacii* modo pag. xxx. lin. 5. memoratus nobis est) in quo dubius sum, annon sub voce *Præpositus*, cui nullus subjunctus ibi est genitivus, ulcus lateat, critica arte sanandum. Apud Fabric. Bibl. Lat. T. III. p. 219. ita lego. „In Bibliotheca Amplissimi Senatus Lipsiensis exstat MS. codex „*Epistolarum Cassiodori* hoc titulo: *incipiunt capitula M. Aurelii Cassiodori Senatoris, Viri „clarissimi & illustris, exquestoris pallacii, exconsulis ordinarii, exmagistri officii præpositi atque „Patricii Romanorum, variarum formularum liber primus incipit.* „ Senatorem, quo proprio, non dignitatis, nomine (v. eumd. Fabric. T. I. p. 651. not. a. Reland. Fast. p. 682.) dictus est Cassiodorus seu (ut Inl. Maffei dicendus videtur) Cassiodorius, post reliquas dignitates enumeratas dici *ἀπλῶς præpositum* non valde placet. Cujus rei eum dicemus fuisse *præpositum*? an sacri cubiculi seu palatii? Quum Variarum libris X. prioribus ore regio Senator noster esset locutus, in libris duobus postremis, XI. & XII. formulæ insunt ipso ejus nomine dictatæ, ex quibus eum *Praefectum Pratorio* fuisse omnibus fit testatissimum. Hancne *Praefecti Pratorio* dignitatem in titulorum ejus serie, quam codex MSC. exhibet, ne memoratam quidem esse? Memorari debuit quam quæ maxime: & memoratam esse mihi persuasi, latere autem sub vitiosa voce *præpositi*.

positi. Si non in ipso codice MSC. Lipsiensi, at in antiquiore saltem quodam, ex quo Lipsiensis est transcriptus, suspicor Senatoris dignitates non per consequentiam literarum, ut a Fabricio dantur, scriptas fuisse, sed per vocum compendia, quæ inter & PP. fuerit, i. e. *Præfecti Prætorio*: atque nasutiorum librariorum seu exscriptorem siglam PP. quam *Præfectum Prætorio* notare aut nesciverit, aut non cogitaverit, ex suo ingenio integram vocem *Præpositi* nobis obtrusisse. Quantæ calamitati fuerit fundo epigraphico vocum breviarum exscriptio extensa in epistolis epigraphicis aliquoties monui. v. ad Bouh. p. 300. lin. 6. Doctissimus LEICHIVS, cujus amicitiam magni facio, facile Lipsia nos certiores faciet, an in MSC. Lipsiensi extense scriptum inveniatur *præpositi*, non PP. Si *præpositi* in eo legatur, doctorum facio iudicii, QVIRINI in primis & LEICHII, quo loco putetis habendam esse suspicionem meam, errorem vocis extensæ *præpositi* ex antiquioris codicis sigla PP. ortum esse.

5. EC. Et Comes.

Quod Brixianis placuit, Philippo a TVRRE vocum juncturæ per & copulam fieri solitæ non convenire visum est. „nella seconda parte la retta disposizione richiederebbe che si dicesse, *Comes & Consul Ordinarius*, e non & *Comes, Consul Ordinarius*. „ Optime sese habent, quæ reponis pagina Diss. TVAE (XXVIII.) „Interpretatio ET COMES CONSVL ORDINARIUS, quæ Adriensi parum arrisit, quod „particula & potius voci *Consul*, quam voci *Comes* præponenda foret, non omnino „absona mihi videtur, quum collocata ea particula, ut visitur in Diptycho, significet Boethium antea Præfectum, & Comitem, tunc Consulem processisse. „ In Diptychis supra pag. XVIII. adlatis sæpe ET ante CONS. ORD. positum est, qui ordo Adriensi placuit solus: at in Divionensi & Turicensi, ordine Brixianis placito ET dignitatibus ipsis interjectum est. Observe præterea, in diptychis consularibus literatis omnibus, quæ nobis ex antiquitate restant, particulam ET legi, eamque plene semper exscriptam; numquam sub sigla E, omisso T. Quin in ipso Brixiano bis integre ET exscriptum est, V. C. ET. INL. item CONS. ORD. ET. PATRIC. ut medio loco in PVSEC 7^o E ante C siglam esse 7^o Et temere admitti non debeat. de quo magis constabit, si SEC. ab Italis interpretibus male diremtum esse infra videbimus th. XXV.

XVIII.

Philippi a Turre interpretatio diptychi Boëthii.

Episcopi Adriensis summa interpretationis hæc est. *Novo Anno Rursus MANLIUS BOETHIVS V. C. ET INL. EXPPP* *PræfectVS* (scil. *urbi*, *ter*) *Et* (iterum) *CCONSUL ORDINARIUS*, *ET PATRICIUS*. „Io penso, inquit pag. (XXVI.) che questi tre „PPP significchino una stessa Dignità esercitata *tre volte* da Boezio, e che sia la Prefettura di Roma. Così i due CC denotano i due Consolati, uno passato, ed il presente. „cujus TV sententiæ muros duplici ariete pulsas vehementissime pag. (XXVII.)

(XXVIII.) *Boethium* philosophum semel tantum *consulem* fuisse, non *iterum*, seu *bis* (pro qua vocula typographus TVVS paginae TVAE vicesimae octavae linea 9. male *Eis* dedit) *praefectum* autem *urbi* ne semel quidem, nedum *tertio*. Si *Rursus* cum CONS. ORD. jungi debet ex Phil. a TVRRE sententia, quid opus erat CCONS ex mente ejusdem? ita consul *iterum bis* *ἑταυρολόγως* significaretur, alterum voce *Rursus*, & geminatione *ἑ* C alterum. Sed quae contra Brixianos de *Novo Anno Rursus*, & de sigla *ἑ* E pro ET th. superiore, lit. *α* & *ς*, jam monuimus, etiam Adriensi opponenda, non repetimus.

PPP. praefecturam (urbis) *ter* administratam, CCONS. consulatum *iterum* gestum significare, quis cum a TVRRE credat? Non LEICHIVS, qui de Dipt. pag. (XXVIII.) praefecturam urbis *ter* administratam, tum in veteribus libris, tum in marmoribus, triplici P nunquam notatam esse monuit. Et sane huic Adriensis invento refragatur omnis antiquitas, quae magistratus ab eodem homine altera & tertia vice gestos numquam geminandis & triplicandis initialibus magistratuum literis signare consuevit: nisi forte putemus a. Cti 444. consulatum Theodosii duodevicesimum continuandis ante ONS duodeviginti C literis aequae ac CONS. XVIII. scriptum esse.

Quam parum profecerit a TVRRE, praesidium sententiae suae in numis quaerens, in quibus AVGG. & AVGGG. frequentissime legantur, satis vidit Alex. Symm. MAZOCHIVS, qui epistolae suae pag. (XXI.) haec ponit. „Exemplum quod idem (a TVRRE) affert (quod ipsum exemplum mihi quoque statim animo occurrerat, in istud ECCONS. intuenti) de AVGG. aut AVGGG. nihil minus probat, quam quod Hadriensem juvet. Nec enim *ἑ* AVGG. illum significat qui bis Augustus extiterit, aut *ἑ* AVGGG. eum qui fuisset tertium Augustus; sed eae notae non aliud quam duos tresve Augustos designant. Pari ratione *ἑ* CC. apud Vrsatum in Notis inter *Consules duos* notat. Porro autem si *ἑ* CC. duos consules signare poterat; id ipsum magis *ἑ* CCONS. denotaverit.„ Prima plane optime, media quasi medie, postrema oppido pessime se habent. Si AAVG. & AAVVG. scriptum olim esset pro AVGG. & AVGGG. vel pro AA. VV. GG. & AAA. VVV. GGG. cum CCONS. magis potuisset componi. sed ne tunc quidem sententia Adriensis vinceret, CCONS. esse *consul iterum*: hoc enim tantum sequeretur, CCONS. notare *consules duo*.

CC. *Consules duo* significare apud Vrsatum invenitur. quod quasi medie se habere dixi: quia Vrsatus de hac nota, non ubique obvia, sed admodum rara, exemplis adducendis non optime pepercit. quae si adduxisset, de significatione ista *ἑ* CC. iudicium ferri posset, rectene an male sese interpretatio habeat. Forte hic notarum compilator, & earumdem infelix haud raro interpret, uno atque altero nixus est monumento, ubi CC. longe aliud quid quam *consules duo* significant. Haec etsi ita scribo, dari tamen exempla, in quibus CC. manifeste satis *consules duo* signent, minime nego. Quum enim in faxis seculi potissimum quinti & sexti haud raro occurrat C. notans cum *consulatum* tum *consulem*, nimirum in his siglis P. C. *Post Consulatum*:
nec

nec non V. C. C. *Viro Clarissimo Consule* : quo modo in diptychis Divionensi, EXC C. OR. i. e. EX*Consul*, *Consul ORDinarius* : quis est, qui diffiteatur, quod VV. CC. i. e. *Viris Clarissimis*, substantivo *consulibus* per ellipsin omisso, (v. ad Bouh. p. 345. *lin.* 9.) vel VV. CC. CONSS. i. e. *Viris Clarissimis CONSulibus* (v. ad Bouh. p. 342. *lin.* 4.) insculptum legitur, id VV. CC. CC. i. e. *Viris Clarissimis Consulibus* incidi eodem jure potuisse, ac *ἐνικῶς Viro Clarissimo Consule* ? Num CC. *consules duo* minus significare potuit ac AA. & AAA. *Augustos duo* vel *tres* ? Non puto. Geminatas enim literas plurative significare tralatitium est. v. ad Bouh. p. 345. *lin.* 4.

Porro autem, si ἴδ CC. *duo consules* signare potuerit, id ipsum magis ἴδ CCONS. denotavisse, MAZOCHIO minime concesserim, nisi prius proferantur numi vel lapides, in quibus AAVG. & AAAVG. scriptum sit de *Augustis duobus* vel *tribus*. Ita DD. NN. & DDD. NNN. est *Dominis Nostris*, illud *duobus*, hoc *tribus*. v. ad Bouh. pag. 350. *lin.* 32. idem autem sic scriptum DDOMIN. NNOSTR. & DDDOMIN. NNNOSTR. quis usquam vidit ? Multo minus archæophili cum MAZOCHIO sentient in iis, quæ fundamento huic in aquaposito, CCONS. esse *consules duo*, nexibus nullis superinstruxit, de quibus th. XXI. videbimus, in qua ad Mazochianam diptychi Boëthii *παρεμπνεύσαν* series scriptionis hujus institutæ nos vocabit. Temporis enim ordo, TVAM, Vir Eminentissime, sententiam prius a nobis adferri jubet.

XX.

EM. QVIRINI interpretatio.

Quum doctissime & verissime in animum induxisses, de Boëthii philosophi unico tantum consulatu certo constare, anno nimirum DX. gesto, Brixianum Diptychon, quod ad hunc Boëthium consulem referendum esse non dubitabas, hunc ferme in modum interpretatus es. ANICius MANLIus BOETHIVS *Vir Clarissimus*. ET INLuster, EX*Præfectus* *Prætorio*, *PræfectVS* (at non *urbi*) Et Comes CONSul ORDinarius ET PATRICius.

Quia ANICius a TE divinatus LEICHIO placuit, rem omnem, quæ eo faciat, narrabo, si ad Leichiana meletemata de Diptycho Brixiano devenero, th. XXVIII.

De INLuster præcepi th. XVIII. lit. ρ.

EXPPPVS quo modo TE legisse dicerem, aliquamdiu (fatebor enim) incertus hæsi : ita mentem TVAM de his siglis aut plane non aperuisse, aut quibusdam involucris obtexisse mihi credebaris. tandem vero, quum EX*Præfectus* *Prætorio* Brixianorum nusquam a TE convelleretur, & dissertationis TVAE Romanæ pagina (xxviii.) *lin.* 13. animadverterem, a TE scriptum esse, *Boëthium antea Præfectum, & Comitem, tunc Consulem processisse*, visus mihi es EX*Præfectus* *Prætorio*, *PræfectVS* (at non *præfectus urbi*) legisse : nisi una dignitas, at tribus PPP id innuentibus ter obtenta, EXPPP*PræfectVS* potius TIBI placuerit, modo ne *præfectura urbis* intelligeretur, qua Boëthium philosophum umquam fuisse exornatum recte pernegasti. Sed quamcun-

que *praefecturam*, sive simplicem, sive geminam, sive triplicatam, intellexeris, splendendam quidem certe, & dignam, quæ in diptycho consulari extaret, a Boethio philosopho avocaberis. Haud abs re enim MAZUCHIVS pag. (xx.) *ante fin.* contra Philippum a TVRRE hoc urfit. „Officia in philosophi operum titulis hæc recensentur: *Exconsul ordinarius & Exmagister officiorum*. At in hoc eboze longe sunt alia: „nam præter consulatum ordinarium, is dicitur EXPPPVS (de quo mox videbimus) „ET PATRICIUS. Annon ex his liquido ostenditur, Brixiani Diptychi Boethium „fuisse a Boethio scriptore eruditissimo alium? „ Rectissime ex siglis sive unius dignitatis, sive duarum, EXPPPVS, jugulum petitur sententiæ eorum, qui Boethium philosophum in Diptycho Brixiano expressum volunt.

Quod autem incogitans superaddit MAZUCHIVS de *Patriciatu*, nollem factum: quasi vero hoc etiam argumento obtineatur, Boethium philosophum non extare in Diptycho, quia BOETHIVS diptychi fuerit PATRICIUS. Boethium enim philosophum omnino & PATRICIUM fuisse liquido constat. Codex Manuscriptus, teste Io. Bernartio in notis ad Boethii Consol. Philos. p. 3. b. edit. Hack. a. 1671. disertim habet *Exconsulis ordinarii & PATRICII*. quin Berchemianus optimus codex præfert, *Exconsul. ordinarij. Exmag. Offic. atque PATRICII*. & post Bernartium doctissimus Boethii commentator Renatus Vallinus ꝑ PATRICII testatur ab omnibus veteribus libris confirmari, clarissimumque præterea adducit locum Ennodii: *Est Boethius PATRICIVS, in quo vix discendi annos respicis, & intelligis peritiam sufficere jam dicendi*. Verba Boethii de Consol. Phil. lib. 2. prof. 3. quibus eidem Vallino ipse Boethius *Patriciatum* suum quoque innuere videtur, præteribo, ut citem Anonymum Valesianum Anniano Marcellino additum, in quo p. m. 723. memoratur *Boethius PATRICIVS, qui Magister Officiorum erat*. Adde doctiss. LEICHIUM de Diptychis pag. (xxvii.) notis (d) (e) (f) Cassiodori, Pauli Diaconi, & Agnelli, testimoniis eundem Boethii PATRICIATVM confirmantem.

Et Comes (quarum vocum syntaxin TĒ contra Phil. a TVRRE vindicasse th. XVIII. lit. s. jam laudavi) CONSUL ORDINARIUS ita TIBI placuit, ut tandem superadderes pag. (xxvii.) „Si cui autem videretur *Ex-Consul* legendum esse, adhuc liceret de altero Boethii Consulatu dubitare, quum aliud sit *Consul iterum*, aliud *Ex-Consul*, & putare quis posset Diptychum illud confectum fuisse non suscepto, sed „gesto jam Consulatu a Boethio. „ Tota hæc periodus, meo quidem iudicio, rectius abesset. Nihil enim rei est *Ex-Consuli* cum Boethio diptychi. De EX dignitatibus præmissis multa dixi in magna de diptychis epistola, ad Bouhierium XX. Verissimum est, aliud esse *Consulem iterum*, aliud *Ex-Consulem*. Posterius hoc aut consulem tantum codicillarem seu honorarium, aut consulem magistratu jam defunctum notat. v. ad Bouh. p. 287. Quid ergo male metuebas, ne non liceret de altero Boethii consulatu dubitare, si cui EXCONS. in diptycho Boethii legendum videretur? *Licere* narras? non recte accipis. ἀνάγκη esset, alterum Boethii consulatum non admittere.

Cui

Cui enim pro ECCONS. legendum videretur EXCONS. næ is ex voce hac sua, non diptychi, EXCONS. nullis fidiculis consulatum Boëthii alterum seu iteratum extorqueret. Nam si EXCONS. suum de consule codicillari seu honorario tantum interpretaretur, rideres, eum neque oculis suis vidisse, neque animo secum cogitasse, in diptycho 1^o EXCONS. 2^o ORD. arctissime conjungi. EXCONSul ORDinaris autem & exconsul codicillaris seu honorarius, i. e. non ordinarius, contradictionibus alter alterum destrueret. Si EXCONS. CONS. ORD. legeretur, tunc adhuc liceret de altero consulatu dubitare. Ego quidem certe diptychorum, Divionensis & Turicensis, EXConsul Consul ORDinaris non de Stiliconis consulatu secundo, ut a Cangio erat factum, sed de primo tantum explicare malui ad Bouh. p. 294. lin. 18. EXCONS. ORD. CONS. ORD. demum idem esset ac BIS CONSVL ORDINARIVS.

De altero periodi TVAE membro ut dicam, si cui videretur *Ex-Consul* pro ECCONS. legendum esse, putare quis posset, inquis, Diptychum illud confectum fuisse non suscepto, sed gesto jam Consulatu a Boëthio. Immo, quia ORD. in diptycho sequitur, omnes tunc ita putare teneremur. EXCONS. ORD. enim aliam interpretationem non admittit, nisi unam hanc *consul ordinarius*, isque *consulatu suo jam perfunctus*. qui libera olim Rep. Romana voce una *Consularis* fuit dictus. v. ad Bouh. p. 313. lin. 34. Ita *Mavortius* a. Cti 527. consul ordinarius, exacto consulatus sui anno seu post a. Cti 527. dictus demum est EXCONSVL ORDINARIVS.

„Sic enim in antiquioribus Codicibus, Leidenfi Reginensi aliisque, post Epodos „literis majusculis scriptum fertur: VETTIVS AGORIVS BASILIVS MAVORTIVS „V. C. ET INL. EXCOM. DOM. EXCONS. ORD. LEGI ET VT POTVI „EMENDAVI. CONFERENTE MIHI MAGISTRO FELICE ORATORE VRBIS „ROMAE: hoc est, *Vir Clarissimus & Illustris, Excomite Domestico, Exconsule Ordinario.* „Quis fuerit ille Magister *Felix*, qui eodem hic quo *Donatus* titulo honestatur *Oratoris* „*Urbis Romæ*, equidem nescio: at *Mavortius* is ipse est, qui Consul erat sine Col- „lega anno post Christum DXXVII: unde Fasti egregie illustrari possunt, cum „aliunde iste *Mavortius* nulla alia re nisi cognomine solo innotescat.„ Hæc Clar. Bentlejus ad Horat. in præfatione: ex qua Relandus Fast. p. 696. *init.* Mavortii inscriptionem insigniter hallucinatus sic repetiit: VETTIVS. AGORIVS. BASILIVS. MAVORTIVS. V. C. ET. INL. EXCOM. DOM. EXCONS. ORD. VIR. CLARISSIMVS. ET. INLVSTRIS. EXCOMITE. DOMESTICO. EXCONSVLE. ORDINARIO. LEGI. ET. VT. POTVI. EMENDAVI. CONFERENTE. MIHI. MAGISTRO. FELICE. ORATORE. VRBIS. ROMAE. Tautologiam dignitatum earumdem exhibitarum per compendia primum, deinde per consequentiam literarum, quis sine nausea legat? Octo voces *ὀλογοραφηθεῖσαι*, VIR. CLARISSIMVS. ET. INLVSTRIS. EXCOMITE. DOMESTICO. EXCONSVLE. ORDINARIO. expungi debent, pessime textui intrusæ ex Bentleji interpretatione siglarum V. C. ET INL. EXCOM. DOM. EXCONS. ORD. Nonne hæc Relandi hallucinatio gravior est illa, qua codicis MSC. Lipsiensis *præpositi* ex mala interpretatione siglarum P. P. i. e. *Præfecti prætorio* natum esse, supra pag. xxxii. *fin.* & xxxiii. *init.* conjeci.

EXCONS. ORD. si cui in Boëthii diptycho consulari legendum videretur, a nemine audiretur æquis auribus. quid enim? Omnia quæ nobis adhuc innotuerunt diptycha consularia, consulum sunt ordinariorum, ne unum quidem exconsulis ordinarii. Verissime a TVRRE initio literarum suarum ad Galeardum: *Quel monumento ritrovatosi costi sarà certamente uno de' Dittici, che il nuovo Console dispensava agli amici con altri regali nel suo ingresso alla carica.* Diptycha ejusmodi eburnea consules magistratu suo jam perfunctos faciendâ curasse, & amicis donasse, aut sibi servasse, in quibus *exconsules ordinarii* dicerentur, omni antiquitatis eruditæ testimonio destituitur: estque ἕτε λεκτόν, ἕτε πρισόν. Si cui videretur *Exconsul* legendum esse, in eorum numero, qui putarent, Diptychon Boëthii post gestum consulatum esse demum confectum, nomen TE TVVM professum esse, non dicerem, veritus, ne doctrinæ TVAE injurius essem, TIBIque imprudens tribuerem, quæ tantum de aliis suspicatus scripseras, PVTARE QVIS POSSET, non PVTAREM.

XXI.

Alex. Symm. Mazochii explicatio.

Numnam periodum TVAM, de qua hactenus disputavi, non tam fortuito & casu, quam consilio & quadam divinatione i. e. præfensione & scientia rei futuræ dedisti? In ea certe vatis instar videris cecinisse, quæ portentis simillima paullo post Neapoli præpostera MAZUCHII cura peperit. Quum enim magno labore non quidem EXCONS. legisset, sed ECCONS. more novo & inaudito explicasset, suæ ad TE epistolæ Sectionem III.

DE DIPTYCHO BRIXIANO BOETHII CONSVLIS

clausurus pag. (xxiv.) not. (32.) *Diptychon*, inquit, *istud Boëthianum paullo etiam ferius, h. e. gesto jam consulatu constructum fuisse, constat ex illo ECCONS.* Et in textu ipso ejusd. paginæ: *Et de consulatu non tunc suscepto, sed olim gesto, jam Tu quidem, QVIRINE optime, Epistola ad Bozium occupasti.* Viden' ex periodo QVIRINIANA quantum MAZUCHIVS profecerit? Profecto tantum, ut ipsi constitutioni Imppp. Valent. THEODOS. & Arcad. AAA. a. Cti 384. datæ, & in leg. 1. Cod. Theodos. lib. XV. tit. IX. de expensis ludorum inveniendæ, qua tres isti Imperatores solidarunt, *ut exceptis CONSVLIBVS ORDINARIIS, nulli prorsus alteri auream sportulam, DIPTYCHA EX EBORE dandi facultas sit; diptychum Boëthii exconsulis (si Mazochium audias) ordinarii derogare intelligatur.* Bona verba, quæso. Si Mazochianam de diptycho Brixiano sententiam antiquitatis statera pensitaverimus, constabit planissime, DIPTYCHVM EX EBORE Boëthii CONSVLIS ORDINARII cum functione ista trium Augustorum æque conspirare amicissime, ac reliqua omnia, quæ adhuc restant, diptycha consularia: ad quorum rationem Boëthianum quoque optime dirigitur.

„MAZUCHIANA de diptycho Boëthii quum mihi primum ab amicissimo GO-
„RIO memorarentur Epp. Epigr. pag. 383. *lin.* 15. quanta eorum cognoscendorum
„cupi-

„cupiditate flagraverim vides ex pag. 409. *lin.* 15. neque tamen postea quidquam MAZOCHIANÆ curæ a Gorio accepi, ἀλλὰ ad Syllogen Calogieræ voluminosam, in qua Mazochiana Venetiis recusum iri audiverat, ab eo pag. 429. *lin.* 15. rejectus.

„Quantam igitur gratiam a me inivisti, mittenda ad me celeberrimi MAZOCHII Diatriba, splendidissimo nomini TVO inscripta! Cujus Sectionem tertiam de diptycho Brixiano Boëthii consulis ἔγνων, ἀνέγνων, κατέγνων. quid enim? adeo contortæ sunt viri cetera eruditissimi & antiquitatum peritissimi, explicationes 72 ECCONS. & 72 EXPPPVS. ut ab omni antiquitatis regula abnormes deflectant, in eum censum referendæ, qua voces cohærentes & continuas pessime distinctas prodigioseque acceptas esse, exemplis pluribus Mazochiano simillimis alibi ꝛ. o. ostendam. τὸ S finale & 72 EC initialia 72w EXPPPVS. ECCONS. sic jungenda esse, EXPP. PV. SEC. CONS. cur non vidit?

„Unum est, quod doctissimum MAZOCHIVM juxta mecum observasse video. Procopii locum dico, ab Relandi παραγεννηία vindicatum ab MAZOCHIO pag. (XXIV.) not. (31.) & a me epp. epigr. pag. 333. *lin.* 6. „Hæc in meis ad TE literis anno superiore a me scripta esse facile meministi.

Explicatius heic quædam dicere ipsa partis hujus secundæ ἀνασχευαστικῆς ratio me jubet. quod ne sine præmunitione orationis faciam, lætus libens agnosces verba TVA, quibus, postquam de NAR. sculptoris errore ex ANIC. orto divinare desiisti, ab diptycho Boëthiano abiturus, & epistolæ TVAE, qua MAZOCHII De antiquis Corcyra nominibus, quæ ex Orientalium linguarum penu explicare instituit, Schediasmati respondisti (Decad. II. Epist. III.) breviarium quoddam TVORVM contra MAZOCHIVM argumentorum in epistola de Diptychis, TVO & Boëthiano, ad CL. de BOZE exarata adtexturus paginam (XXIX.) sic exorsus es. „Ut autem intelligas, me non quidem serio, sed jocando personam OEdipi sumpsisse, finas precor, antequam huic Epistolæ finem faciam, paucis hic exponere amicam quandam velitationem his ipsis diebus exortam inter me, Virumque Doctissimum & Clarissimum, Alexium Symmachum Mazochium, Canonicum Neapolitanum, & Regium in ea Vrbe Sacræ Scripturæ Interpretem, cujus doctrinam etsi maximopere venerer, multum tamen abfuit, ut quibusdam ejus dictis (profecto quod divinationem redolerent) calculum meum adjungerem.

BOVHIERIVS in fine alterarum literarum, quas ad TE scriptas Part. I. th. X. edidi, in Italia editos doctorum libros trans Alpes doluit raro advehi: & MAFFEIVS Alexii MAZOCHII eximium de Capuano Amphitheatro commentarium, quem sibi ab auctore humaniter missum Veronæ habebat, Lugduni Gallorum frustra perquisivit. v. Inlustris Comitis Ant. Gall. sel. ed. Paris. p. 53. & p. 82. Librorum præstantissimi MAZOCHII adhuc nihil ego vidi, nisi quam TVA liberalitas mihi donavit Diatribam ad TE scriptam. quod tacere nolui, Corcyra etymon quoddam de meo daturus. Quum enim chorearum studia apud Corcyraeos viguisse in TVA ad Bozium

epistola pag. (xxix.) *ante med.* legerem, de quo inprimis ex TVIS Primordiis Corcyrae (quem librum TVVM longe eruditissimum vix dubito quin aequae ac Plautus olim fabulam suam Epidicum, i. e. aequae ac TE ipsum ames) cap. XII. pag. 91. seqq. praclarissime constat, in mentem mihi subito venit, forte insulae illius, in quam ejus antea Praeful cogitationibus saepissime reveheris, antiqua nomina Σχερίας & Κερκύρας, Corcyrae, ab eadem origine olim fluxisse. A verbo Hebraeo כָּרַר vel כָּר sunt qui non modo graecas voces χάρω & χορός, sed etiam σάριω, σαργμὸς, σαριζω, σαρζιάω cet. ducant, ut saepe sigma initio vocum addi solet. An ita Σχερία a כָּר, ut Κέρκυρα, Corcyra, ab ejusdem verbi secunda radicali defectivi conjugatione Pihel, prima radicali de more geminata, secundaeque postposita, כָּרְכָר? Nisi quis malit, Corcyram a כָּרְכָר, saltavit, subsiliit, at Scheriam a שָׁכַר, inebriari. quo nescio an quid forte faciat graecum Corcyraeorum decretum, ob vocem ΕΥΔΟΜΗΚΟΝΤΑ supra pag. xx. lin. 22. memoratum, in quo ΔΙΟΝΥΣΙΑ agenda indicuntur, conducendis auletis seu tibicinibus, tragœdis, comœdis. Hujusmodi autem etymologiis Homerum tam vehementer abusum esse, MAZUCHIO recte non das.

Ne παρὰ μέλος φθέρξασθαι, & ἐκτὸς χορῆς ὀρχεῖσθαι videar, expono summam sententiae MAZUCHII de Diptycho Boethiano, quod ita interpretatur. NARIUS MANLIUS BOETHIVS V. C. ET INL. EXPPRAPOSITVS [Eunuchorum sive Augustalis cubiculi] ECCONSUL ORDINARIUS (i. e. exconsul ordinarius, sed nonnisi is, cui in consulatu collega fuerat) ET PATRICIUS.

Præposteris & contortiplicatis opinionibus suis fidem conciliaturus MAZUCHIVS ὑπερολογία usus de ECCONS. primo, deinde de EXPPPVS. agit, donec tandem postremo ad diptychi initium NAR pervenit. cuius vestigia nonnihil legemus. Si γὰρ CC. inquit, duos consules signare poterat; id ipsum magis γὰρ CCONS. denotaverit. Prius negandum non videtur: posterius minime concedi posse pag. xxxv. lin. 10. προηλιασάμην. Huic tamen compendio scribendi, nusquam inveniendō, CCONS. pro consulis duobus tota doctissimi Canonici fabula innititur, dignior quæ exigatur, quam quæ spectetur.

Ut collapsa ruunt subductis tecta columnis,

sic vide, quam non stet, quod statim addit, cur ECCONS. non EXCCONS. eborarius scripserit. „Jam vero γὰρ EX CCONS. non aliud plane fuerit, quam Ex consulis, ut quidem ævo Theodosiano loquebantur. At etiam duæ dictiones in unam conflabantur: quod ubi fieri cœpit, si quidem duplex C retinere voluerunt, elidi „X necesse fuit, quippe litteram ante duplex C ineffabilem. „Quæro omnino: Si ante CC elidi necesse fuit X ceu ἀρρήτων, quæ X ante PPP potuit retineri? Num minus ἀνεκφώνητον EXCCONS. fuisset, atque EXPPPVS. est? Cur γὰρ X. ante triplex, non duplex modo, P parcat is idem, qui γὰρ X. ante duplex tantum C perimit? Nonne suo sibi gladio jugulamus hominem?

Pergit.

Pergit : „Eo fit, ἵδ' ECCONS. non aliud esse, quam *virum ex consulibus*, aut „vero *virum Exconsulem*, modo is in consulatu collega, non consul *μόνιμος* fuerit : „qui si Consul singularis fuisset, unicum C adscribendum erat, ut fit EXCONS. „ In monumentis innumeris Consulem, qui collegam habuerit, COS. vel CONS. vel unica litera C. vel omnibus literis CONSVLEM, incisum esse, ne eos quidem, qui ære nondum lavantur, fugit. Qua arte exempla omnia de consule, cui collega fuit, unum C tantum habentia de consulibus *μόνιμοις* accipi possint, num MAZUCHIVS docebit? Contra ea si nobis vel unum documentum ostenderit, in quo consul in consulatu collegam habens CCOS. vel CCONS. duplici CC. legatur inscriptus, ἵδ' X. expulsus ei indulgebimus, dabimusque, ECCONS. esse virum consulatu, in quo collegam habuerit, perfunctum. Commentum de duplici CC. quod uni MAZUCHIO placuit, si veteribus fuisset cognitum, longe felicius ab erudita antiquitate ita fuisset adhibitum, ut EXCONS. notaret consulem honorarium seu codicillarem; & EXCCONS. seu ECCONS. eum qui consulatum, sive cum collega, sive solus, gessisset: sic enim formula EXCONS. ORD. de eo, quem exacto consulatus sui anno *consularem* olim dixerant, potuisset supersederi.

Concludit MAZUCHIVS: „Itaque Diptychi notæ illæ duæ ECCONS. ORD. „duplici modo enuntiari possent, sive *Ex consulibus ordinariis*, idque elegantius, sive „*Exconsul ordinarius*. At præcedens illud EXPPPVS, quod recto casu ponitur, facit, „ut etiam ἵδ' ECCONS. recto casu fit efferendum *Exconsul*; modo is semper intelli- „gatur, qui consul collega, non unicus fuerit. „ Utrum *Ex consule*, aut *ex consulibus* (ut ἀπὸ ὑπαλώων) an *exconsul*, *exconsulis*, elegantius fuerit, nescio: utrumque dictum esse scio. quo modo & *pro consule*, & *proconsul*. v. ad Bouh. p. 286. *init.* Si ad usum potiore respicias, olim *proconsul* magis quam *pro consule*, & postea *ex consule* magis quam *exconsul* frequentari, puto, cœpit: de neutrius tamen præstantia cum quoquam altercabor. Perinde quoque habuissent, si ECCONSule quam ECCONSul Mazuchius maluisset: licet enim EXPPPVS recto casu vult præcessisse, ideo tamen ECCONS. eodem nominandi casu efferri necesse non fuit. de quo, quia VS pro nominativi terminatione pessime heic habetur, dicere tanti non est. v. Sanct. Min. I. 18. cum nota Perizonii.

τὸ EXPPPVS explicaturus a simplicioribus ad magis complicata progredi vult videri. PP. interdum notare *Præpositum*, simplex est: ut & alterum hoc, *Præposituram sacri cubiculi* duobus mandatam fuisse, alias præposituras tantum singulis: at ideo triplex P. evasisse, & *sacri cubiculi* addi supervacaneum futurum fuisse, adeoque EXPPPVS ita significare EXPPræpositVS, ut intelligatur ille *Eunuchorum* seu *Augustalis cubiculi*, hæc vero non modo complicata, sed contortuplicata sunt, Kabbalæ Judæorum simillima. PP. designare *præpositum* ex indice Gruteri Scaligerano adtulit. PPP. alterum *præpositorum sacri cubiculi*, aut *Augusti*, aut *Augustæ*, denotare nemo ante MAZUCHIVM dixit, finxitve: quod quia est ἀγὸς γκαφῆς, nemo ei credet: neque audebit ipse dicere, כִּי לֹא הָרַשׁ הוּא' וְכִבְרָה הִיא לְעוֹלָמִים מוֹרְגָלָא בְּפִמְיָהוּ דְאַנְשׁוּי יִשְׂרָאֵל וְתַמִּימִים אֲשֶׁר הֵיוּ מִלְּפָנֵינוּ. Quare de PPP. desino.

Ex duabus hisce præconceptis opinionibus, de duplici CC altera, altera de triplici PPP. duo falsissima sibi persuasit Canonicus Neapolitanus. Unum, Diptychi Brixiani Boëthium non alium esse a Boëthio, Symmachi fratris in consulatu collega, a. Cti 522. Boëthium enim a. Cti 487. consulem *μόνιμον* fuisse. Fuit etiam, ut ad Bouh. scripsi p. 333. *lin.* 19. consul solus seu sine collega Boëthius philosophus a. Cti 510. quo tamen argumento, ne Boëthius philosophus intelligatur, non est usus MAZOCHIVS, sed aliis, quæ th. XX. partim admisimus, partim rejecimus.

Alterum ex malis, uti diximus, principiis MAZOCHIO ortum hoc est: Diptychum Brixianum nonnisi post annum Cti 522. demum esse elaboratum. quod theos hujus XXI. initio jam explosimus.

*Haud secus in Fabrica, si prava est Regula prima,
Normaque si fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua si ex parti claudicat hilum;
Omnia mendose fieri, atque obstipa necessum est,
Prava, cubantia, prona, supina, atque absona tecta;
Jam ruere ut quaedam videantur velle, ruantque,
Proditis judiciis fallacibus omnia primis.*

Primam tandem Diptychi Boëthii vocem MAZOCHIVS interpretatur NARIUS, aut NARICIUS. de quo quia infra th. XXVIII. in expositione sententiæ Bouhierianæ dicturi sumus, unum nunc monemus, forte MAZOCHIVM sub NAR. gentilitium nomen quæsiturum non fuisse, nisi cum novi anni auspiciis, quæ literis NAR. innui priores interpretes suspicati erant, adversa fronte vidisset pugnare suam de ECCONS. ORD. sententiam, qua Diptychon Boëthianum non initio consulatus gerendi, sed exacto anno, consulatuque jam deposito, factum male credidit.

XXII.

Parisiensis interpretatio prima.

Expositis Itolorum sententiis transcendendum in Galliam Transalpinam, & de Regiæ Parisiensis Inscriptionum Academiae mihi dicendum est conjecturis. quas quum elicuisti, quam vellem de singulis sententiam TVAM earum auctoribus, qui paulo post TE, amplissime QVIRINE, ob amplissima merita TVA in chorum suum Academicum, ut & TE & illis dignissimum fuit, cooptarunt, atque Sodales TVI facti sunt, aperuisses! Eas vero quum ad me mittere constitueres, ad Cl. FEVERLINVM pag. (xxxv.) scripsisti, quia Mazochianas explicationes mihi parum arridere tamquam valde contortas jam aperte ad TE scripserim, TE vereri, ne parum grata pariter mihi accidat Bozianarum, quam TV magnopere admiratus sis, opulentia. Libero QVIRINVM istoc metu. Hagenbuchione ingratos accidere ludos, quos literatissima, totoque orbe celeberrima Academia excogitavit & dedit? Ego vero neque semisomnus neque sine delectatione spectavi ludos hos Gallicos, nil minus quam Ocos,

Oscos, neque tamen Romanos. Id dico: in explicando Diptycho Brixiano operam doctissimos Gallorum viros posuisse gaudeo: αὐτὴν τὴν ἀλλόθειαν in bicipiti eos Parnassio somniasse non puto. Quia, ex quo tempore, quas quatuor potissimum Parnassius Parisiensis protulerat sententias, primum legi, praevidebam, fore, ut nulli earum tuto possim accedere; hoc me consolor, ipsos doctores Parisienses ita ab invicem discedisse, ut alia aliis visa sint. Licebit ergo etiam nobis salva tantorum virorum existimatione & dignitate ab eorum placitis discedere. Hac enim modeste dissentendi libertate in republ. literaria frui nemini non conceditur, & ego sanguine Helvetio cretus inprimis lubenter utor, quam nemo literas bonas amans, nisi cum vita simul, amittit. *Regnant alibi*, ut insignis Criticus egregie dixit, *familie & vocabula factionum, opiniones pro sacramento sunt, & fateri posse in melius profici nefas habetur: in ejusmodi vero amenitatibus*, ut Hypercriticus quidam hoc non male superaddidit, *sibi indulgere, dissentire ab aliis, & errare etiam, semper licuit, & nisi fallitur* (quæ autem in hoc falleretur?) *posthac etiam licebit.*

Prima interpretatio Parisiis nata hæc est: *NAtales Regios (aut Romæ) MANLius BOETHIVS Vir Clarissimus ET INLuster EX ProPria Pecunia Voto Suscepto Edixit Celebrandos CONSul ORDinarius ET PATRICius.* Neque de γενεσιαις regum dicere animus fert; neque de Palilibus urbis Romæ a. d. XI. Kal. Majas, quæ in Calendario Romano apud Grut. 133. *PARilia* vocantur, in alio apud Lambecium Commentarior. de Biblioth. Vindob. lib. IV. p. 280. *Natalis VRBIS.* Neutrius generis natales consules ordinarii solebant celebrare. hinc ad id confugitur, quod Boëthium, qui Conf. Philos. lib. 2. prof. 3. *sibi sumtas in adolescentia negatas senibus dignitates* in prætereundis retulit seu communibus, neque ætas neque ambitio hortata, credo, erat, ut singulare hoc *Votum Susciperet*, si consul fieret, se *NAtales* five *Regios* five *Romæ EX ProPria Pecunia Edicturum Celebrandos.* qui modus interpretandi parum mihi videtur abesse ab Harduini epigraphas numorum in miras siglarum potestates convertentis κακονδεία. Qui diptycha consularia habent perspecta, non dubitant, inter nomen Consulium & CONS. ORD. more sollempni interjacere dignitates reliquas a consulis istis gestas. quod in uno Boëthii diptycho cur minus esset factum? Immo factum est idem literis EXPPPVSEC, dignitates omnino referentibus, & conjecturam de *NAtalibus R.* infirmantibus ac convellentibus: quod tanto æquiore animo ferendum, ne Theoderici regis, qui Boëthium fustulit, immanitas tanto detestabilior fiat, si Boëthius votum de *NAtalibus Regis Theoderici celebrandis* nondum consul suscepisset, votique damnatus seu *CONSul ORDinarius NAtales Regis* hujus celebravisset.

Prima hæc interpretatio, si fabula de voto Boëthii nondum consulis vera esset, commentario, ut recte monetur, non indigebat: neque quidquam adnotatum est, nisi hoc in margine Gallico: „Grut. 253: 4. & 713: 14. Ed. Græv.“ Unde & nos missa reliquarum siglarum interpretatione ad saxa duo Gruteriana, quantopere ex iis literæ diptychi Boëthiani EXPPP non illustrentur, non tacituri, ita convertimur,

ut alia quædam monumenta, in quibus PP. aut PPP. male ab eruditis hominibus explicata sunt, simus adducturi.

Si de indicum Scaligeri Gruterianorum abusu multiplicitibus & variis commentarium scriberem, bonis literis haud inutilem, GORIVM meum in iis, quæ Italiæ ab eo scripta adtuli supra pag. XX. *extr.* XXI. *init.* Scaligerani laboris indice 19. minus dicerem esse abusum, quam auctorem Parisiensem indice 20. Duo enim Gruteri saxa ad juvandam interpretationem Academiæ Regiæ primam adscripta non essent, nisi ea prior sic Scaliger ind. 20. combinavisset. „P. P. D. P. Propria Pecunia „dederunt, posuerunt. 253: 4. vel procuravit, perfecit, donavit, posuit. vide „713: 14. ubi pene expressum.”

Qui saxa ipsa consulit, statim videt, Scaligerum suæ siglarum P. P. D. P. in 253: 4. occurrentium interpretationi non priori, *Propria pecunia dederunt, posuerunt*, sed posteriori tantum *procuravit, perfecit, donavit, posuit*, gratiam quamdam conciliaturum, jussisse videri 713: 4. ubi *ὀλογοραμμάλως* in titulo sepulcrali Burdigalensi legitur PROCVRAVIT MATER SVA. DONAVIT. POSVIT. quæ præterita tria si ex mente Scaligeri siglis P. P. D. P. in 253. 4. per præterita quatuor *Procuravit, Perfecit, Donavit, Posuit*, legendis viam præire possint, ex 253: 4. non quidquam adjuvatur diptychi interpretatio Parisiaca EX *Propria Pecunia*: nedum ex 713: 14. quod totum quantum est cum siglis diptychi commune nihil habet.

Quid? quod neutra Scaligeri interpretatio in 253: 4. quadrat. Titulus enim Panvinianus positus est

ANTONINO. AVG. PIO
PONT. MAX. TRIB
POT. COS. II
P. P. D. P

ut nihil opus sit, *Propria Pecunia Dederunt Posuerunt*, ne ignoremus, qui sint, qui *dederint, posuerint*, idque *Propria Pecunia*. Præstabat *Publica Pecunia*: nisi veri simillimum esset, si non verum ipsum, *Patri Patriæ*, quod in titulorum imperatorum sine adeo frequentatum est, ut græcis quoque siglis π. π. incisum sit, quod Scaliger optime *Πατρὶ Πατρίδος* ind. 19. græc. interpretatur in 68: 5. Non debuit ut ineditum recoqui græcum Gruteri saxum a Fabr. p. 119. n. 5. multo minus a Mur. 18: 1. cur Antonini Pii Augusti nomen subdatur, aliis decernendum relinquentem. Decrevisset facile ipse Muratorius, si Fabretti typum vidisset, faciliusque, si Gruteri, in quo Antonini Pii Augusti nomen non subditur, sed *ab altero latere* legi monetur. Sæpe in ejusdem marmoris lateribus diversis diversæ epigraphæ leguntur. v. vel Fabr. p. 21. num. LIV. & p. 385. num. XXXX.

Ultima Panviniani lapidis aut *Decretum Publice*, aut *Decuriones Posuerunt* mihi significant. Cui volupe est, vel *Classem Muratorianam IV.* seu *Imperatorum* adeat.
Patri

Patri Patrie PVBLICE, 251: 2. SVMPTV PVBLICO POSVIT Decreto Decurionum, ibid. 6. Patri Patrie Decreto Decurionum, 252: 8. 253: 5. & 7. Decreto Decurionum, 252: 1. DEC. DEC. PVB. 253: 4. Ita in Grut. 254: 6. Patri Patrie Decreto Decurionum, & ibid. 7. Patri Patrie DECVRIONES POPVLVSQVE SVTRI Pecunia Publica Posuerunt: licet non nesciam, Scaligerum ind. 20. PPP in 254: 7. Propria Pecunia Posuit interpretari.

Siglas EXPPP. ego quidem dubito usquam EX ProPria Pecunia notare, & docilis accipiam, si duplex PP figlam 78 ProPrius, a, um, esse ex veteribus monumentis tradatur. In Grut. 253: 4. non tria PPP, sed tantum duo PP, modo diximus significare non Propria Pecunia, sed Publica Pecunia; aut potius Patri Patrie, ut antecedentibus dativis sensu cohæreant magis, quam, quod Scaliger voluit, extremis literis D. P.

Contra ea in Grut. 164: 1. extr.

C. CORN. SEVERVS. M. SEPTIMIVS. COELIVS. II. VIRI. PP.

F.

C.

78 PP. 70is II. VIRI. junxisse Scaligerum vidi ex ind. 5. II VIRI P. P. 164: 1. qui ei ni fallor Duumviri perpetui sunt crediti. Nonne vero in tanta raritate Duumvirorum perpetuorum præstat PP. cum versu ultimo efferre Pecunia Publica Faciendum Curarunt? Veterum quadratarii, quos regulas syllabarum sejungendarum aut nescivisse, aut passim violasse dixi ad Bouh. p. 306. lin. 15. describendarum quoque linearum sæpe admodum incuriosi fuerunt, ut mirum non sit, PP. in 164: 1. ab F. C. separatum, contra in 253: 4. cum D. P. eodem versu conclusum esse: quorum alterum initium versus ultimi elegantius intrare, alterum versus penultimum rectius claudere potuisset.

Vrsatus T. XI. Græv. p. 911. F. postquam recte dedit,

P. P. D. P. Patri Patrie Datum Publice. In Monumentis Imperatorum.

statim addit: „Perfecit Donavit Posuit. Scaliger. „ Manifestum nobis est ex superioribus, eum primo verbo auctius dare voluisse „Procuravit, Perfecit, Donavit, Posuit. Scaliger. „ neque quod in Vrsato continuo additur „Propria Pecunia Dedit Posuit vel Perfecit, aliunde haustum videtur, quam ex eodem Scaligerani indicis vicefimi loco.

Saxum Grut. 246: 4. Trajano erectum Romæ in fine habet P. P. EX. S. C. quæ nolunt aliter intelligi, quam Patri Patrie EX Senatus Consulto. neque excogito, unde divino Scaligero humani quid sæpe passo prodierit infelicissime ind. 20. „P. P. Provincia Pannonia. 246: 4. „ Cur non castigavit Holthenus? Quanto rectius linea post quarta „P. P. Pater Patriæ. In Imperialib. „

In siglas P. P. i. e. Patri Patrie desinunt quoque more solito tituli Imp. Hadriani in hoc Britannico saxo apud Grut. 248: 3.

M

IMP.

IMP. CAESARI. DIVI. TRAIANI. *parthici fil.*
 DIVI. NERVAE. NEPOTI. TRAIANO *hadria-*
 NO. AVG. PONTIFICI. MAXIMO *trib. potest.*
 COS. I. --- PP. COH. III. F. ---
 --- IO. SEV. ---

v. 4. legendum COS. II. P. P. cui hoc monumentum fecit COHors III. forte cog-
 nomine ufa *Flavia*, sub Præfecto seu Tribuno *claudio. SEVERO.* seu quæ alia nomina
 fuerint versu ultimo ejus, qui cohorti III. præfuerit. Ita in aliis saxis Britannicis
 alæ & cohortes nominandi casu leguntur, & qui eis præfuerint subnectuntur. v.
 Grut. 1006: 8. 9. 1007: 3. 4. 5. 6. Male Scaligerum PP. COH. III. F. . . . legisse
Præpositus COHortis III. F. . . . non videas nisi ex ind. 6. seu *militarium*, voce *Præ-*
positus „PP. Cohortis. 248: 3. „

Titulus Auximas in Grut. 445: 9. sic incipit:

C. O P P I O . C . F . V E L
 B A S S O . P . P . P . C
 P R . I . D . A V X . 7 . L E G . I I I I
 F L . F E L . E T . L E G . I I . T R . F O R
 E V O C . A V G . cet.

Qui ἀπλῶς in 445: 10. dicitur *Patronus Colonia* (de quo duo alia alii Oppio erecta
 monumenta in 446: 1. 2. satis docent) is in 445: 9. plenius P. P. P. C. inscribitur.
 neque de hac scriptura, a Grutero ex Smetio 77: 11. desumpta, ulla dubitandi causa
 supereft, licet Aldus in Orthogr. sua voc. *Cena* p. 170. num. 2. habeat P. P. C. C.
 Mendose enim in Aldino libro tertiam literam C. pro P. irreplisse certum mihi est ex
 ejusdem Aldi Notarum Explicatione, in qua hæc posuit ad titulum nostrum Auxima-
 tem unice pertinentia, p. 124. „P. P. P. C. PR. I. D. AVX. 7. LEG. IIII. FL.
 „FEL. ET. LEG. II. TR. FORT. EVOC. AVG. patri Patriæ, patrono Coloniae,
 „Prætori Juridicundo Auximi, Centurioni Legionis IIII. Flaviæ Felicis & Legionis
 „II. Trajanæ, Fortis, Evokatori Augusto. „ Ultima *Evokatori Augusto* pro *Evocato*
Augusti auctori suo remittimus cum Vrsato T. XI. Græv. p. 701. E. Neque melius
 principium Aldus dedit, *Patri Patriæ Patrono Coloniae*. Gravius longe est illud *Patriæ*
Patriæ nomen, quam ut Oppio huic convenire videatur. Ne hilo quidem præstat,
 quin pejus etiam est, quod in Vrsato extat: „P. P. P. C. Primo Pilo Prætoris Co-
 „hortis. *Gallus*. In militaribus. „ Tantum abest, ut frequentes sint hæc siglæ quatuor
in militaribus: nonnisi in uno Auximi saxo leguntur, desumptæ ab Vrsato, ut ex ejus
 indice auctorum cognoscimus, ex Francisci *Galli* Monumentis Auximi. Quid Scali-
 ger? Ind. 20. P. P. P. C. 445: 9. sine interpretatione posuit. & jam ante eum has
 siglas in *δυσσερμηνέτοις* habuit Smetius in suo Notarum indice scribens: „P. P. P. C.
 „77: 11. similiter ignorantur, nisi forte legere audeas: Patrono Perpetuo Coloniae. „
 Ut

Ut verum fatear, laudo hanc Smetii audaciam modestissimam, quamvis nemini de Grut. 445: 9. agenti cognitam æstimatamve. Patronus enim PerPetuus Colonie non abhorret ab moribus antiquitatis, quam dictos AB ORIGINE PATRONOS quoque habuisse novimus. v. celeberr. Gorii Inscr. Etr. T. II. p. 201.

Smetianum *similiter* nos monet de eo, quod in eodem Smetii indice notarum præcessit:

„PPP. 3: 2. Quid signent haud constat.“

Smetianam tabulam ex 3: 2. habet Grut. 160: 4. eademque siglæ jam aderant in Grut. 159: 7. ut & postea in Grut. 1082: 13. habentur. Quia titulos imperiales toties nomen *Patris Patriæ* claudere solet, in hanc venio conjecturam, posterioris ævi adulationem duobus PP. temporum meliorum non contentam adjecisse P tertium: quod si quis *Pater Patriæ Præstantissimus* explicari indignabitur, nobis orantibus proferat, quod sit $\pi\alpha\tau\epsilon\rho\varsigma\ \epsilon\pi\iota\sigma\tau\epsilon\gamma\omicron\nu$, *præstantius*.

XXIII.

Parisiensis interpretatio secunda.

Altera Academiae Inscriptionum Parisiensis interpretatio, Novo Anno Redeunte MANLIUS BOETHIVS Vir Clarissimus ET INLuster EXPeçtatus PrincIPibVS (vel EX Patrum PrincIPibVS) ECce CONSul ORDinarius ET PATRICius, commentario ita explicata est, ut latinior quam verior esse videatur. De EC monosyllabo forte dubitabant, qui ECce ab EN & enclitico CE formatum malunt. Mallet ego de INLuster pro INLustris Parisiis dixissent: de quo th. XVIII. lit. β . dictum est. De re ipsa ut nunc dicam, alteri huic sententiæ obstant, quæ th. XXII. sententiæ Parisiensium primæ adversari vidimus. Morem dico diptychorum, dignitates consulum reliquas non tacentium. deinde, quem ibidem adtuli Boëthii locum, sibi *sumtas in adolescentia negatas senibus dignitates*, velim etiam consideres, annon eum jam tunc consulem factum suadeat, quum adhuc ea ætate esset, qua consulem eum fore vixdum erat speratum, nedum expectatum. Consuetudinem meam ut servem, non omitto de inscriptionibus Gruterianis agere, quæ ad secundam sententiam firmandam a Parisiensibus adductæ sunt tres, 891: 8. 152: 8. & 313: 3.

Lapis Gruterianus 891: 8. in primis juvare illis visus est interpretationem EX Patrum PrincIPibVS: quod in eo vocem *Patrum* credebant nobilitatis quodam significato adhiberi, atque nescio quos claros *patres libertinos* indicari. A Scaligero decepti videntur, a quo non solum ind. 18. seu historico rerum memorabilium dati sunt *Patres libertini*. 891: 8. sed præterea ind. 5. seu dignitatum *Ex Patribus libertinis*. 891: 8. quo modo ob vocem PATRES i. e. *Senatus* seu *Senatores* ex Grut. 168: 4. eodem ind. 5. dantur *Patres Senatores Municipales*. 168: 4. quæ Holthenus nullum mutationis a se susceptæ indicium dans sic immutavit *Patres & Populus Municipales*. 169: 4. In 168: (non 169:) 4. leguntur PATRES ET POPulus, scilicet Municipales. nam faxum Mundæ in Hispania. Sed præstitisset Scaligerana sic interpungere, *Patres*.

Senatores Municipales. 168: 4. Dignum observatu visum fuit Scaligero, *Senatores etiam in municipiis factos*, dictos esse PATRES. An ergo quid clari etiam in 891: 8. in verbis EX PATRIBVS LIBERTINIS inest? Nemo nescit, Horatium

Non PATRE PRAECLARO, sed vita & pectore puro,
Sed LIBERTINO natum PATRE, & in tenui re.

Non - - - CLARO natum PATRE - - - - -

- - - - - LIBERTINO PATRE natum;

Quem rodunt omnes LIBERTINO PATRE natum.

Ut Flacco poëta PATER LIBERTINVS non erubescendus est visus: ita *Aristoni* nostro, non CLARO stirpe, sed forte vita moribusque ἀριστεύοντι, non PATER LIBERTINVS, MATERque LIBERTINA. quid enim PATRES LIBERTINI? Non dubito PATREM & MATREM, ambo LIBERTINOS, dici PATRES, ut sæpe alibi PATRES & πατέρες, pro Parentes & γονεῖς, occurrunt. D. Paullus ad Hebr. XI: 23. Πίσει Μωσῆς γεννηθεὶς ἐκρύβη τρίμηνον ὑπὸ τῶν ΠΑΤΕΡΩΝ αὐτοῦ, διότι εἶδον ἀσεῖον τὸ πατρίον. καὶ ἐκ ἐφοβήθησαν τὸ διάταγμα τοῦ βασιλέως. Latina exempla desiderantem ablego ad Scaligeri indicem 14. voc. PATRES, *Pater & Mater.* 792: 1. 704: 1. 707: 5. Holthenus omisit sine ullo omissionis indicio numeros 792: 1. quos emendari debere in 692: 1. potuisset discere ex ind. 19. voc. *Patres, οἱ τοκεῖς, pater & mater.* 656: 2. 692: 1. 704: 1. 707: 5. Nonne Scaliger lapidem Gruteri 891: 8. rectius in ind. 14. & 19. quam in ind. 5. & 18. citasset? Ovid. *Metam.* IV: 61.

Sed vetuere PATRES, quod non potuere vetare.

ad quem locum videndus Latinitatis vindex, P. Burmannus senior, &, quem citat, R. Bentlejus ad Horat. lib. I. Satyr. V. (leg. 1.) 100. p. 365. ne plura nunc dicam.

De Grut. 313: 3. quia possum, brevis sum. Index Scaligeri 20. voc. PP. ostendit P. P. *Pater Patrum* 313: 3. sed factus est lapis *Patri Patrum DEI SOLIS INVICTI MITRAE*: & ind. Scal. 3. seu Sacerdotum recte datur *Pater Patrum Dei Solis invicti Mithrae.* 28: 2. 89: 4. 313: 3. ut nesciam, quid hic *Pater Patrum* ad ordinem Sacerdotum pertinens, ad literas diptychi faciat ob Boëthii nobilitatem generis EX *Patrum Principibus* lectas. Si adlatus tantum a Parisiensibus est, ut vocem *Pater* aut *Patrum* initiali litera scriptam docerent, eodem jure tot imperiales titulos *Patri Patrie* factos adtulissent.

Qui *Pater Patrum* a Scal. ind. 3. primo loco datus est, in Grut. 28: 2. dictus PATER PATRVM DEI SOLIS INVICTI MITHRAE, HIEROPHANTA HECA-TAE: nos pulcre docet figlas in Grut. 192: 3. P. P. HIEROF. HEC. legendas esse, *Pater Patrum* (scil. Dei Solis Invicti Mithrae) HIEROFanta HECata; non PerPetuus HIEROFanta HECata, quo eas modo legisse Scaligerum nusquam invenies, nisi in indice ejus 3. *Hierof. Hecata perpetuus.* 192: 3.

Grut. 152: 8. cum 891: 8. auctor Parisiensis cur sociaverit, vix intelligitur. Quum in ind. Scal. 5. juncta invenisset,

„EX PPO. 152: 8.

„Ex Patribus libertinis. 891: 8. „

præter *patres libertinos* male intellectos, simul abstulit, opinor, 152: 8. quod EX PPO. faxi cum diptychi EX *Patrum Principibus* convenire opinabatur. An ergo EX PPO. legit, aut ipsi in ejus gratiam legemus, EX *Patrum* (pluralis numeri index geminatio 7^z P.) aut EX *Principum Ordine*? Sed quum in 152: 8. præcedat EX *Præfect. VRB.* & sequatur EXCONS. ORD. PATRICIUS, non dubitavi abhinc triennium epistola epigraphicarum vicesima pag. 323. lin. 28. siglas intermedias EXPPO interpretari EX *Præfecto Pratori*O. Quam male, quamve bene, ne ipse me prave amare videar, TV decerne, QVIRINE Eminentissime, cum Sodalibus TVIS Parisiensibus eruditissimis.

XXIII.

De siglis vocum contractarum.

Excussis sententiis Academicorum Parisiensium duabus prioribus, antè quam eorumdem sententias duas posteriores excutiam, duo interjicere haud alienum videtur. De siglis vocum contractarum alterum: alterum de vocibus cohærentibus male diremtis. Utrumque heic faciendum me monent cum Itatorum tum Gallorum interpretationes hætenus adlatæ. ceteræ enim, quæ postea exponendæ restant, in hoc potissimum a prioribus abeunt, ut in diptychi Brixiani literis EXPPPVSEC. neque VS habeant pro siglis duabus, *Voto Suscepto*, aut pro exitu tantum casus, five nominativi declinationis primæ cum Italis, five ablativi declinationis tertiæ cum Gallis: neque SEC dirimant.

Præter alios vocum breviandarum modos tritissimos, v. g. quum initialis tantum litera posita est pro integrâ voce, ut V. C. pro *Vir Clarissimus*; aut vocis literæ nonnisi priores quædam pro voce tota suffecerunt, ut MANL. pro *MANLIUS*, INL. pro *INLUSTRIS*, CONS. ORD. PATRIC. pro *CONSUL ORDINARIUS PATRICIUS*: hæc etiam genera olim obtinuerunt, ut litera quæque syllabam significaret, v. Τεσσαρεκκοσολ. Turic. p. 495. fin. aut vocis tantum initium aut finis, omiſſis mediis, scriberetur, v. ibid. pag. ead. init. Ita FRI sine dubio est aut FRATR, aut FRATRI, in Mur. 1495: 14. & L. L. TABVSQVE manifesto *Libertis LiberTABVSQVE* significant in eod. 1381: 1. Ita & in numis MP ΘΥ. ΜΗΝΡ ΘΕΟΥ. Helena, Constantini M. mater, *Veneranda Nostra Mater*, præ qua explicatione doctissima sordet Harduianum παράδοξον, *Vrbs Narbonensis Mercatum Restituit*.

Interdum ex duobus his generibus conflatum quasi est tertium quoddam, quo vocum primæ & ultimæ literæ ita dabantur, ut literæ quædam mediæ in medio simul retinerentur. Sic SCE. M. EPCS. *Sancta Memoria EPiscopuS* in Rein. XX: 428. p. 996. quo initio plane caret typus Muratorii 425: 6. ut ineditum dantis. Quod supra th. XVIII. lit. ε. pag. xxviii. lin. 26. adfuit SaCri Palatii, magis ad compendia

syllabarum, & vocum una litera notatarum, facit. Ad D. C. R. M. in Grut. 383: 7. v. 8. editio secunda hanc subjicit notulam. „i. e. DeCuRionuM. Sic infra 1114: 1. „P. T. R. E. pro PosTeRisQue.„ Ex qua notula (in qua pro 1114: 1. corrigendum 1110: 1. & pro E rescribendum Q.) Holthenus hoc supplementum indici 20. scripsit „D. C. R. M. Decurionum. 383: 7. not.„ non observans, Scaligerum ind. eod. paullo post, voc. DCRM hæc occupavisse: „D. C. R. M. scribendum conjunctim „DCRM. Decurionum. 383: 7.„ Reinesius ad I. 16. p. 41. med. D. C. R. N. vocabulum DeCuRioNum adfert ex Grut. 383: 7. N medio pro finali M. posito. quo tamen modo eum corrigere voluisse non puto: quia D. C. R. M. recte tolerat, & DeCuRioNum recte interpretatur ad VI: 112. pag. 451. post med. & jam ante Var. Lect. 3: 16. p. 620. quum dixisset, quæ vocum siglæ fuerint, *Sunt*, inquit, *etiam observata syllabarum: harum enim initiales eodem modo singularias sculpservunt, quod nos monemus primi, quia obscurissimis & inaccessis aliis exponendis facere deprehenderimus; 1. p. 1110. P. T. R. Q. est POSTERISQVE: paulo aliter in 7. p. 791. PRS. Q. SVIS. nisi 70 T ab exscriptore præteritum est: & in 7. p. 383. D. C. R. M. est Decurionum: quas interpretationes ipse sensus & συνάφεια non omnino hebeti cuius suppeditat ac comprobant.* In Grut. 791: 7. nil opus est T. potius ab exscriptore præteritum suspicari, quam ab ipso marmorario, qui literas tres tantum sculpsit, vocis primam, alteram ex medio nomine, cum postrema, PRS pro PosTeRis. Ita apud Fabretum (quem de siglis vocum contractarum agentem laudavi in Epp. Epigr. p. 277. lin. 12.) ipsa hæc vox varie contracta legitur, p. 129. n. 52. (quod saxum post Fabr. datum etiam in Don. VI: 181: p. 275. & in Gud. indd. pag. LXXXII. col. b. med.) & p. 165. n. XXXI. P. T. R. Q. At P. R. Q. p. 164. n. 294. & PTR. EOR. p. 166. n. 306. De SIET pro ScilicET aut ScilicET (a quo parum abludit Papiæ VDL pro ViDeLicet) & de VDSS. LBR. pro ViDucaSSium LiBenteR v. ad Nob. Blaurerum p. (13) (14) ubi & de LGD. contra Bimardiani typi LVGD. dixi, cum Inl. Maffeo & celeberr. Muratorio LGD. illud interpretatus LuGDunenſis: nisi, quod nunc subit, LGD. tres syllabarum trium literas initiales sistat, ut fit q. LuGuD. i. e. Lugudunenſis. Frequenter enim in monumentis antiquis Lugudunum scriptum est, pro Lugduno. Quod si & in LGD. inscriptionis Torigniacensis agnoscamus, poterit videri, ejusdem inscriptionis v. 16. LVGD....ENS detritis in medio literis male exscriptum esse pro LVGVD....ENS, i. e. LugudVNenſ.

Olim non magis literas ligatas, connexas, innexas, & conglutinatas, ac hæc etiam scribendi compendia, necessitas imperavit librariis, marmorariis, monetariis, spatiorum iniquitate exclusis. qui porro iisdem quoque haud raro sunt usi nonnisi sua voluntate coacti, operam puta compendifactorum. Hæc enim compendia pulcre faciebant ad ταχυγραφίαν non scribis studiosius quam quadratariis quæsitam.

Egregie ergo falsi sunt, qui ejusmodi siglas vocum contractarum librariis ita proprias crediderunt, ut earum nec vola nec vestigium in antiquis inscriptionibus scripserint

rint deprehendi. in quorum numero profecto neque Itali neque Galli interpretes diptychi Boëthiani referri debent. Illis enim diptychi VS exitus nominativi singularis; his autem terminatio ablativi pluralis vocis *Principibus* videtur. Neutorum ego sententiis opposui, quæ agnoscant scribendi compendia, in inscriptionibus non legi. Legi enim in inscriptionibus ejusmodi voces contractas non nego: licet ad eas EXPPPVS diptychi pertinere pernegem. Addo, quod in nullo diptychorum consularium adhuc proditorum siglæ vocum contractarum legantur.

Exemplum non in Diptycho Boëthii Brixiano, sed in Boëthii philosophi libro occurrit, si vera est acutissima observatio, quam Antonius ASKEW in novæ editionis Tragoëdiarum Aeschylî specimine Lugd. Bat. 1746. primum protulit pag. 10. a. dignissimam vel BOETHII causâ a nobis heic totam dari. Postquam de *εὐς* & *εὐον*, contractis ex *εὐεὐς* & *εὐεὐον* dixit „Vix, inquit, magis obviam quid in veteribus „Græcorum librorum editionibus quam *ἀνός* pro *ἀνδραπότος*, quod non assequentes recentiores quidam Editores, vitia inde haud pauca procuderunt. Apud Latinos haud „minus frequenter quam apud Græcos in hoc genere peccatum est. Cujus rei quamvis frequentissima prostent exempla, juvat tamen unum adhuc in mendo jacentem „locum adferre & suæ integritati asserere. In antiquis Editionibus Boëthii *de Consol. Philos. lib. 2.* metro primo exstat.

„ Sic illa ludit, sic suas probat vires,
„ Magnumque suis monstrat ostentum, si quis
„ Visatur una stratus ac felix hora.

„Hoc malè mutavit Vallinus & secuti sunt posteriores, qui exhibent *Suique magnum.* „Mihi tamen certum est *suis* antiquarum editionum esse natum è compendio scribendi, quod in Codicibus manuscriptis comparet, *scelis*, quod debuerant non in *suis*, „sed *scelis* commutare. Debet ergo sic Boëthii locus restitui:

„ Magnumque scelis monstrat ostentum, si quis
„ Visatur una stratus ac felix hora.

„Sensu plano & perspicuo atque metro integerrimo. Multa alia possent ejus generis adferri. Sed loci rationem habemus & instituti nostri. Quod autem Boëthii „nunc maxime mentionem injecerim, inde est, quod nonnullam ego ipse operam „in eo auctore collocarim; decem ejus optimos manuscriptos Codices contuli, & „alia in eundem congesti haud inutilia, quæ omnia futuro alicui ejus editori libenter, „si cupiat, impertiam, quandoquidem ejus Editio a me vix est expectanda.

Quia th. XXIII. *extr.* lapidis Gruteriani EXPPO, EX *Præfecto Prætorio* legendum videri dixi, dicam in extremo hujus thesæos XXIII. de IMPO, quod in alio Gruteri lapide ex eadem voces contrahendi methodo puto explicari posse. Grut. 1079: 2.

* PERPETVO IMPO
C. AVR. VAL. DIOCLETIA
P. F. AVG. *cet.*

N 2

„ * Scil.

„* Scil Consulatu. Gruter. „ Hæc ed. sec. notula Gruteriana rem mihi obscurat, non illustrat. Tento explicare PERPETVO IMPeriO C. AVR. VAL. DIOCLETIANI Pii Felicis AVGusti, ut in Nicomediensi hoc saxo expressa videatur formula, quæ in Grut. ed. pr. 1010: II. ΥΠΕΡ ΣΩΤΕΡΙΑΣ ΚΑΙ ΑΙΩΝΙΟΥ ----- ΗΜΩΝ manca, at in ed. sec. ex schedis Lindenbrogianis ΔΙΑΜΟΝΗΣ ΤΩΝ ΚΥΡΙΩΝ suppleta legitur. Mur. 1024: 3. ΥΠΕΡ ΤΗΣ ΤΩΝ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΩΝ ΣΩΤΗΡΙΑΣ ΚΑΙ ΝΕΙΚΗΣ ΚΑΙ ΑΙΩΝΙΟΥ ΔΙΑΜΟΝΗΣ, & 242: I. ΥΠΕΡ ΤΗΣ ΤΩΝ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΩΝ ΚΑΙ ΤΩΝ ΕΥΔΙΑΜΟΝΗΣ. quod *ευδιαμονης* vocabulum Lexica græca ignorant. Legimus in Lamprid. c. 6. Alexandro Severo adclamatum, *Dii te PERPETVENT.*

In Cod Theodos. siglæ *Præfecti Prætorio* non modo PF. P. aut PP. sed etiam PP. 6. editæ, in antiquissimis codicibus, Wurceburgensi & Gothano, quos eximius RITTERVS eximie contulit, PPO. vel concisius etiam PO. scriptæ sunt. Ita ad leg. 59. de cursu publico pro edito *Messala PP.* 6. codicem Gothanum nota (c) dicit legere *Missala PPO.* de quo, nisi varietatem nominis *Missala* pro *Messala* notare debuisset, ne monuisset quidem, contentus in Tomi III. præfatione scripsisse, in codicibus suis PPO aut PO ubique scriptum esse, & jam in Tomi I. præfatione ex Codice Wurceburgensi quædam literarum compendia memoraturus non modo PO. pro *Præfectus Prætorio* adtulit, sed præterea subscriptionem legis secundæ *de nupt.* (volebat *de sponsalibus* scribere) PROP. VI. KAL. ATAS. ROM. i. e. PROPofita VI. KALendas AugusTAS ROMæ. τὸ ATAS codicis dignum conferri cum IMPO lapidis Gruteriani; magisque PO. vel PPO. ut venerandæ antiquitatis membranæ, quarum character proxime ad seculum quintum accedere dicitur, habent, cum EXPRO saxi Gruteriani, in quo seculi quinti consulem legi ad Bouh. scripsi pagina 323. cujus linea 35. inter *Fectus* & *PrætoriO* nobis nolentibus exciderunt voces duæ, VRBi, EXPræfectus. Satis de siglis vocum contractarum, de quibus majorum gentium Critici haud raro monent. v. Salm. ad Lamprid. Heliogab. p. 835. a. *fin.* ed. Hack.

XXV.

De vocibus coherentibus male direntis.

Perpulcre de diptycho Brixiano scriptum est in Diario Veneto T. XXVIII. p. 42. *le lettere, che sono sotto il monogramma dell' una e dell' altra tavoletta, sono molto unite, e come attaccate insieme.* Ita in inscriptionibus maxime græcis vocabula nullis distinctionibus aut intervallis discreta legi passim legimus. contra ea Romanæ, ab extrema cujusque versus voce si discesseris, majorem partem punctis, aut horum loco aliis distinctionum signis & spatiolis voces direntas habent: in multis tamen æque ac in græcis voces arte coherent, ab exscriptoribusque, quin interdum ab ipsis marmorariis, vere distinctæ non sunt. unde in regnum lapidarium iliadem malorum invectionem novimus. neque puto rem aliam ullam majore exemplorum copia testatorem fieri posse. quod quia alibi ε. θ. me ostensurum esse, supra a me ex mea ad TE epistola repetitum legisti pag. xxxviii. *lin.* 10. inpræsentiarum animi gratia paucula quædam partim mihi partim aliis observata quam potero brevissime dabo.

Sunt

Sunt exscriptores, qui dictiones, sine punctis continuatas, prave distinguunt. Id precipue in Græcis Epigrammatis usu venit, in quibus sæpe sine ullo discrimine verba contextuntur atque ununtur. Fortassis & ego in his (neque pudet dicere) hallucinatus fuerim, solidioris lectionis atque interpretationis laude aliis relicta. Hæc prudenter pudenterque MVRA-TORIVS in Tom. I. Thesauri sui præfatione. Hallucinatus certe est, quum in fine tituli græci, quem Zoticæ fecit Euphrosynus maritus, 1426: 4. ΕΥΨΥΧΕΙ ΟΥ ΔΕΙΣΑΘΑΝΑΤΟΣ ΕΤΩΝ ΚΒ. non modo ἐψύχεται in versione omitteret, sed reliqua verteret, „agentem annum XXII. verita non est mors (eripere),” ac si a δέιδω, timeo, legeretur & δείσις (ἦν) vel ἐν ἔδεισε θάνατος. & in 1830: 4. ultima ΟΥ ΔΙΣΑΘ ΝΑΤΟΣ versa ab eo sunt oblivioni non tradêris natus, ac si filius, qui modo ante ΟΥ ΔΙΣΑΘ græce ΤΕΚΝΟΝ erat dictus, sine mora post ΟΥ ΔΙΣΑΘ voce latina græce scripta ΝΑΤΟΣ diceretur; ΔΙΣΑΘ autem pro λήσασθαι, a. i. opt. med. significatione passiva a λανθάνω feu λήθω, lateo, celo, legeretur, quum in utroque monumento sit nota formula ΟΥΔΕΙΣ (quod & ΟΥΔΙΣ scriptum, I PRO EI) ΑΘΑΝΑΤΟΣ. Vide doctiss. LEICHH ad græcas Muratorii inscriptiones, novas emendationes p. 67. 68. & adde easdem p. 90. med. contra Froelichium de ΣΥΝΕΡΓΟΝΤΑΣ ΔΕ ΠΟΛΕΙΣ verso collaborantes porro urbes, quasi συνεργάσαι δὲ πόλεις scriptum esset, quod συνεργόν, γὰρ ἡ πόλεις ex Chishullo apud Mur. distinguitur p. 2119. v. 11. & p. 2122. a. ex eodem Chishullo socium operis, & urbes vertitur. Mur. 1624: 5. ΔΙΟΝΥΣΙΩ ΙΘΕΩΝ, Dionysio Itheon, pro ΔΙΟΝΥΣΙΩΙ, ΘΕΩΝ, Dionysio Theon. In 1633: 1. ΕΣΤΟΝ, sextum, q. ἕκτον, pro ἐκ τῶν. De ECCION v. ad Bouh. p. 18. & 65.

Scaliger ind. Grut. 20. T. R. E. S. P. R. Terra Regesta Ex Sua Pecunia Restituerunt. 386: 8. quam explicationem Vrfatus T. XI. Græv. p. 983. C. ita adfert, ac si hæ siglæ sic exponendæ passim occurrerent in monumentis rudibus terraque obrutis, at quorundam pietate restitutis. Sed præter notam Gudianam, quam ed. Grut. fec. exhibet, videndus omnino Reinesius, qui Var. Lect. 3: 16. p. 619. med. literas diremtas conjunxit, & explicuit TRES PROVINCIÆ (Galliarum.) Muratorius, quasi in Grutero non extaret, versu ultimo duas tantum literas habet T. R. quas Titulus Restitutus legit, 1088: 7.

Fabrettus Inscr. cap. IX. gentilitia nomina, quorum Gruterus non meminit, dato studio comportans, AEMILICAM quoque gentem adfert, quam eadem injuria & AEMILICHAM aspirasset, finxissetque, uno hoc lapide nixus p. 600. num. 11. Villa Pamphilia in Vrula ornatissima.

DIS. MANIB
D. AEMILI
CHI. ET
HORTENSIAE
PHOEBES

O

Ut

Ut *Hortensia* cognomen fuit græcum *Phæbe*, sic & Decimo AEMILIO. CHIVS notum nomen græcum. Ex saxo ergo D. AEMILI. CHI. gens AEMILICA invitis Musis est nata, sed & invitis Censoribus Romanis, qui eam in tabulas suas retulerunt numquam.

Similiter ex mala cohærentia Fabretto orta gens SINPETTIA a Bouhierio & me est explosa in epp. epigr. p. 120. *lin.* 16. & pag. 149. *lin.* 30.

In iisdem pag. 452. *lin.* 36. dixi, SENTIA PERpetua ET PHILVMENVS quam displicuerint mihi, mutatique sint in SENTIi (duo) APER ET PHILVMENVS.

Quum ad spectandum lapidem Turicensem anno effossum certatim novitatis magis quam antiquitatis studio concurreretur, non potui non indignari jocularum quorundam ἀμύητων audaciam, quasdam lapidis voces miserrime lancinantium, alias pessime combinantium. v. Τετραγραμ. p. 487. *lin.* 19. p. 552. *lin.* 20.

Sic, quia in diptycho Brixiano literæ omnes adhesionibus inter se quam arctissime junctæ sunt, doctissimis interpretibus, quorum sententias supra exposuimus, magnæ inprimis fraudi fuit, eos de tribus literis SEC. commodissime jungendis ne cogitasse quidem. S enim ab EC avulso non nisi malas & contortas excogitarunt explicationes, alias aliis pejores. Dehinc dicendum nobis est de eorum interpretationibus, quibus SEC minime separandum fuit visum.

XXVI.

Parisiensis interpretatio tertia, CL. de BOZE.

Literas itaque diptychi Boëthii EXPPPVSEC. sic dividit & legit, EXPræfatus Prætorio (aut EXProPrætor) Provincia Viennensis SECunda, Parisiensis interpretatio tertia, ad TE a celeberr. de BOZE ita perscripta, ut ipsius eam BOZII esse ex epistolæ Bozianæ oratione & stilo facile intelligamus. Ipsi, inquam, BOZII, quem, ut in TVA ad BOZIVM epistola pag (xv.) extr. prædicat, hisce coloribus sibi & posteris pinxit Bimardus. *Beaucoup d'esprit cultivé par beaucoup d'étude : une extrême facilité soutenue par un travail assidu, nourrie par une application infatigable, réglée par un discernement très-juste ; favorisée de tout ce qu'un beau naturel peut donner de politesse & d'agrément.*

BOZIANA certe interpretatio tanta tanti viri eruditione dignissima reliquas tres Sociorum Parisiensium longe præstat : quam principio optimo nixam ante CONS. ORD. dignitates ante consulatum sive gestas sive honorarias investigasse gaudeo : unumque mihi dolet, non duas, sed unam tantum dignitatem ab eo esse inventam, contra quam rationes meas nominis ego BOZIANI, Musis omnibus pridem carissimi, cultor devotus ita adferam, ut testatum apud animum TVVM relinquam, non magis auctoritate SCALIGERI quam BOZII me auferri, quoties dissentendi causæ graves adsint, ut mihi minus liceat, quamvis speciose speciosa maximi homines, homines tamen, in medium adtulerunt, eorum plaudere sententiis.

De

De EXProPratore, quem BOZIVS *μαγέυθελου* dedit, omitto dicere. in hanc enim sententiam nemo adducetur, nisi prius dignitatis nomen cum *Pro* compositum ante *Pro* etiam *Ex* habere didicerit. Adhuc autem æque ac EXPROCONSVLES, EXPRODVVMVIRI cet. incogniti antiquariis sunt voce decomposita dicti EXPROPRAETORES.

SEC. a BOZIO non distractum esse, laudo: sed *Provincia Viennensis SECunda* memoriam in diptycho extare non persuadet, arbitratus, SEC. in eo legi, non II. *pour empêcher qu'on ne le rendit secundum ou iterum*. Pone, quæso, eborarium nobis pro PVSEC potius PVIEII exarasse: num existimas, eruditissimum BOZIVM *Provincia Viennensis II. i. e. secunda*, lecturum non fuisse, impeditum numero II. qui numerus potius *Secundum* aut *Iterum* significet? Ignotum sane fuit vetustati hoc discrimen *ἰὼν II. & SECundum*. Quod si *SECundum* placuisset BOZIO, opera omni de *Provincia Viennensis* in partes divisione supersedisset, & specie majore, certe non minore, EXPræfectus *Prætorio Provincia Viennensis SECundo* seu *iterum* ab eo fuisset lectus.

Quærerem vero tunc, annon eodem jure, quo

EXPræfectus *Prætorio Provincia Viennensis SECundum*

Gallorum eruditissimus legisset, quidam Viennæ, non Gallorum, sed Austriæ, seu Vindobonensis posset legere

EXPræfectus *Prætorio Pannonia Vtriusque SECundum,*

aut EXPræses *Provincia Pannonia Vtriusque SECundum.*

fic in Grut. 35: 4. & 493: 3. V. P. ab Scaligero ind. 20. *Vtriusque Pannonia* explicata esse. Cur vero *Vir Perfectissimus* saxi istis ambobus non melius conveniat? nisi de 35: 4. Scaligeri interpretationem locus saxi juvet: quo modo in alio ejusdem regionis lapide apud Grut. 9: 6. PROC. P. P. S. legitur, i. e. eodem Scaligero explicante PROCurator *Provincia Pannonia Superioris*, ut ex ejus ind. 5. voc. *Procurator Prov. Pann.* & ind. 20. voc. *P. P. S.* cognoscitur. Scilicet siglas ejusmodi geographicas interpretari docemur ex ipsis inscriptionum locis, ut de *Provincia Sicilia* monuit Spon. Misc. p. 275. *extr.* ob duo Sicula saxa, quæ siglas P. S. habent, illic a Sponio data, quorum prius Fabr. p. 659. n. 499. posterius Mur. 254: 1. ut inedita dederunt. Ita, si non in diptycho consulari, sed in lapide Gallæ antiquo legerentur siglæ P. V. de *Provincia Viennensi* tutius cogitaretur.

Forte Veneti, in quorum urbe Brixia nunc diptychon Boëthii adservatur, mallent

EXPræfectus *Prætorio Per Venetias SECundum,*

aut EXPræfectus *Prætorio. Præses Venetiarum SECundum.*

Vmbri vero, EXPræfectus *Prætorio. Præses Vmbriae SECundum.*

Fortasse homini Veronensi, at non Inl. MAFFEIO, in mentem veniret,

EXPræfectus *Prætorio. Præfectus Veronensium SECundo.*

nam in Grut. 450: 1. versum decimum habere PRAEFECTO VERONENSIVM III. i. e. tertium seu tertio. Quam male, scripsi ad Bouh. p. 218. lin. 21. ubi & versus septimi PRAEF. GRAECIAE explosi lin. 36. quem Reinesius ad I: 11. p. 27. post med. mendosum non suspicatus male explicare conatus est.

Quid si Helvetius quidam, non metuens rideri, contenderet legendum

EXPraefectus Praetorio Pagi Verbigeni SECundum?

Alii autem patriae studio minus ducti conjicerent

EXPraefectus Praetorio. Praefectus Vigilum SECundum,

aut

EXPraefectus Praetorio. Praefectus Vehiculorum SECundum,

& quid non? Modus enim est faciendus, ut ipsam interpretationis BOZII arcem, quam cum SCALIGERO videtur communem habere, invadamus.

Index Scal. 20. de tribus PPP circumspicienti hæc offert:

„P. P. P. H. C. vel T. praefectus praetorio prov. Hisp. Cit. vel Tarrac.

„P. P. P. P. P. SVPER. Praefecto Praetorii per Provinc. Pannon. Superiorem. 163: 2. „

Holtheni editio pro quinque P. male sex habet P. P. P. P. P. SVPER. & post Tarrac. numeros a Scaligero jam omissos non quivit adponere. Paulo autem superius Scaliger hæc posuerat.

„P. P. H. T. Praeses Provinciae Hispaniae Tarraconensis. 281: 1.

„P. P. HISP. CIT. Praeses Provinciae Hispaniae citerioris. 277: 7. Expressum 281: 7. alibi. „ & infra eod. ind. 20.

„V. P. P. P. H. Vir perfectissimus Praefectus Provinc. Hispaniae. 283: 9. „

Habes de duobus Gruteri faxis, 164: 2. & 281: 1. a CL. de BOZE adlatis, & ad mentem Scaligeri explicatis, quibus tantum tribuit, ut suam diptychi interpretationem illis inædificet securus. Sed malo fundamento quid boni superstruas?

Quum in Grut. 281: 1. (& 283: 9.) BADIUS MACRINUS Vir Perfectissimus Praeses (seu ut BOZIVS ex posteriore Scaligeri loco scripsit Praefectus) Provinciae Hispaniae Tarraconensis (seu TARRACONENSIS) memoretur, quid inde praesidii EXPraefectus Praetorio Provinciae Viennensis Bozianus accipiat, nullus ego quidem video, qui Praefectum (seu Praesidem) Provinciae eundem Praefecto Praetorio fuisse nondum mihi persuadere potui, falsissimamque puto siglarum P. P. P. H. C. vel T. explicationem Praefectus Praetorio Provinciae Hisp. Cit. vel Tarrac. a Scaligero sine numeris datam, quam docere possum ejus auctorem Scaligero priorem ad faxum, quod habet Grut. 281: 1. potissimum pertinere voluisse. Est is Martinus SMETIVS, qui in suo Notarum indice, quem Scaliger secutus est, sic scripsit:

„P. P. HISP. CIT. Praeses provinciae Hispaniae citerioris. 156: 2.

„P. P. P. H. C. vel T. Praefect. Praetorio Provinc. Hispaniae Citerior. vel Tarraconens. 156: 7.

„P. P. H. T. Praeses provinciae Hispaniae Tarraconensis. 156: 7. „

Si diligentissimus Smetius, & post eum Scaliger, aut post utrumque Holthenus animadvertissent in 156: 7. (est ipse lapis postea a Grutero datus 281: 1. ut Smetia-

nus 156: 2. est Gruterianus 277: 7.) ante P. P. H. T. legi V. P. i. e. *Vir Perfectissimus* feu (ut Clusium legere ibi ad latus monuit Smetius) V. C. i. e. *Vir Clarissimus*: neque a Smetio *Præfectus Prætorio Provincia Hispania Citerioris* vel *Tarraconensis* ex 156: 7. esset scriptus, neque a Scaligero & Holtheno retentus sine numeris, sed totus expunctus esset. Suffecisset enim omnibus *Præses Provincia Hispania Citerioris* vel *Tarraconensis*.

Ob *διπλογραφίαν* V. P. & V. C. de qua modo in parenthesi dictum, dicam sine parenthesi brevissime, Præsides provinciarum modo *perfectissimos* modo *clarissimos* vocatos esse, ut contra Alciatum rite disputat Guther. de Off. D. A. lib. I. cap. 5. *ante fin.* quam Alciati reprehensionem, tacito Gutherii nomine, adferri videbis in Grut. ed. sec. 278: 2. not. *.

P. P. HISP. CIT. in Grut. 277: 7. *Præses Provincia Hispania Citerioris* a Scal. ind. 20. ut vidimus, expositus est: a quo præterea alia earundem siglarum P. P. interpretatio ind. eod. sic data est:

„P. P. Pro Prætor. 277: 7. Expressum 278: 1. „

Scilicet summum virum in Herculeo indicum opere dubium sententiæ diversas interdum expositiones diversis locis condidisse, v. *Tersag.* p. 502. *lin.* 9. Sed qui observat, in 277: 7. & P. P. & PR. PR. simul adesse, is ne dubitare quidem potest, P. P. non esse *Pro Prætor*; sed demum PR. PR. significare PRo PRætor. Unde in Grut. ed. sec. ad siglas † P. P. hanc notulam dederunt. „† i. e. *Præses Provincia.* „

En ultima faxi Grut. 277: 7. verba: M. AVRELIVS VALENTINIANVS *Vir Clarissimus Præses Provincia Hispania Citerioris* LEGatus AVGG. (Augustorum duorum) PRo PRætor. In hujus faxi siglas P. P. tragulam injicit celeberrimus MASSONVS, qui in Add. Holth. ad h. l. „Versus, *inquit*, septimi P. P. muta in PR. „ut significet PRovincia, non vero *Præses Provincia*, alias idem esset ac sequens PR. „PR. PRo PRætor. Vid. pag. seq. 1. „ Et sane in 278: 1. idem M. AVRELIVS VALENTINIANVS inscriptus est V. C. LEG. AVGG. PROPR. PROVINCIÆ. HISPANIAE. CITERIORIS, ut emendatio Massoni magno tibicine fulta esse videatur.

Neque ei opponas, quod Scaligerum ind. 20. *Præsidem Provincia Hispania Citerioris* in 277: 7. firmaturum vidimus adduxisse, Expressum esse in 281: 7. Qui enim ibi legitur expressus POSTVM. LVPERCVS *Vir Perfectissimus* PRAESes PROVINCIAE HISPANIAE CITERIORIS, is non inscriptus simul est LEG. AVGG. PR. PR. quæ MASSONO *ἰατρολογίαν* videntur. Idem MASSONVS in Holth. Add. ad 281: 7. non modo notat, Stradam verf. 5. & 6. P. P. P. HISP. habere, sed etiam hanc ejus lectionem dicit meliorem esse, cum siglæ significant, *Pro Prætor Provincia*. Potest vero dubitari, an unius Stradæ typus Gruteriano depromto e Schotti schedis & Verderianis, quibus in Grut. ed. sec. schedas Manutianas Bibliothecæ Vaticanæ addunt, mereatur præferri. Si Strada ab Massono collatus habeat LVPERCVS P. P. P. HISP. facile crediderim, post LVPERCVS excidisse in Strada siglam V. ut exeat,

Vir Perfectissimus Praeses Provinciae HISPANIAE; exscriptores autem alios figlas vocunt initiales extensius dedisse V. PERF. PRAES. PROV. HISP. Pro V. PERF. habere MS. Vaticanum VALERIANI FILII in notula ed. sec. Grut. ad v. 5. adlitum est. quæ lectio etsi repudianda omnino sit, suspicionem tamen movet, potius V. PERF. quam unicam literulam P. versum quintum clausisse. Sed hanc lampadem trado lubens amico eruditissimo, I. H. LEICHIO, qui multa in schedis suis habet adfecta de Hispanicis Inscriptionibus Gruteri & aliorum, quas cum L. & pluribus Hispanicis scriptoribus bibliothecæ Lipsiensium publicæ se contulisse anno superiore exeunte ad me scripsit.

At in Grut. 277: 7. P. P. non in PROVINCIAE mutare; sed retinere, & Praeses Provinciae interpretari possumus sine *Γαυτολογία*. nam quem MASSONVS metum nobis incutere se putat ex 278: 1. eum nobis omnem abstergunt inscriptiones duæ, quæ ibidem statim sequuntur, utraque ejusdem M. Aurelii Valentiniani, qui legitur planissime V. C. PRAESES. PROV. HISP. CIT. LEG. AVGG. PR. PR. in 278: 2. & V. C. PRAE. PROVINC. HISP. CITE. LEG. AVGG. in 278: 3.

Holthenus in Add. ad Grut. 278: 2. 3. unam tantum, non duas esse inscriptiones vix dubitat: neque tertiam Smetium habere. An Smetius non habeat tertiam, quod eandem secundæ putarit esse, dubito. Apianus quidem certe fol. 8. loc. 2. & 3. utramque habet, ceu duas diversas. Sic etiam Gruterus, qui 278: 2. dedit *Ex Apiano, & Schotti Verderiique schedis*; & 278: 3. *e Verderii ac Schotti schedis*, omiſſa Apiani mentione, quem & ibi subscribere potuisset. Differt quoque in Grutero utriusque faxi locus Tarracone; prius ad D. Teclam, in basi altaris; posterius ad D. Annæ locatur. Constatque exemplis aliis, titulos inprimis Imperatoribus dicatos nulla interdum aut levissima mutatione in faxis duobus legi. v. ad Bouh. p. 29. lin. 12. & quæ de exemplis inscriptionum M. Nonii Balbi ad TE scripsi a. d. x. Kal. April. a. 1748.

Sive 278: 2. & 3. unum sint faxum, sive duo potius, nonne magnum inde præsidium petitur siglis P. P. cum PR. PR. in 277: 7. simul tolerandis. Quam varie Præsidis nomen accipiatur, non debet heic tradi. Sufficit, singulos Præsides Provinciarum non fuisse simul Legatos Augustorum Propratores Provinciarum: at omnes Legatos Augustorum Propratores Provinciarum fuisse quoque & interdum dictos simul esse Præsides Provinciarum, quibus præessent. Nisi malis, quosdam Legatos Augustorum Propratores etiam Præsides i. e. Procuratores Augustorum in iisdem provinciis fuisse, duasque has dignitates unum hominem administrasse.

Festinatio prohibet, quo minus cum Grut. 277: 7. & 278: 2. 3. conferam Titiani faxum, itidem Tarraconense, bis datum a Grut. 413: 1. & 474: 5. Qui conferent, eis Praeses Provinciae HISP. CIT. LEG. AVGG. PRo PRatore in 277: 7. non displicebit. Unum moneo, quod in Grut. ed. sec. nondum est observatum. Grut. 474: 5.

474: 5. subscripsit *Ex Apiano*. Rectius subscripsisset *Ex Smetio*. Nam Apianus fol. 17. *init.* siglas C. V. habet demum post PR. PR. contra ea Smetius fol. 157. loc. 4. nimia licentia usus, ex uno Apiano dans, sedem siglarum C. V. temere mutavit, eas statim post TITIANO ponens.

Postquam *Præfes Provincia* in Grut. 277: 7. contra MASSONVM defensus est; defendatur quoque VALERIUS IVLIANVS *Vir Perfectissimus Præfes Provinciae Hispaniæ TARRACONENSIS* in Smet. 155: 6. seu Grut. 258: 6. ab inconstantia Scaligeri, qua hunc *Præsidentem Provincia* in *Præpositum* male mutavit ind. 5. voc. *Præpositus*.

„Præpositus Hispaniæ Tarraconensis. 258: 6.„

Interpretationem hanc reliqua saxa Hispanica, vel ex Scaligero a nobis jam citata, satis refellunt, & ante Scaligerum recte Smetius in suo indice Notarum,

„V. P. P. P. H. Vir perfectus, Præfes Provinciæ Hispaniæ. 155: 6.„

Ad Grut. 281: 1. a quo nonnihil abivimus, Holthenus in suis Addendis notat, Gruteri istam inscriptionem a Smetio 156: 7. cum quibusdam varietatibus, quas ibi Holtheni diligentia enumerat, prolatam, ab eodem Smetio 156: 8. & mutilatam ac aliter descriptam ex Apiano proferri. Fallitur Holthenus: Sunt enim duo saxa ejusdem Badii Macrini diversa, ut in Apiano p. 8. *extr.* & p. 2. *post init.* sic ex Apiano in Smetio 156: 7. & 8. Recte quoque data ut diversa a Grut. 281: 1. & 283: 9. Itaque, quæ de Smet. 156: 8. ad Grut. 281: 1. scripsit Holthenus, demum ad Grut. 283: 9. ubi Holtheni Addenda male tacent, scribere debuisset.

Abeundum a Grut. 281: 1. & ad Grut. 164: 2. pergendum, cujus extrema CVRANTE VALERIO CATVLINO P. P. P. P. P. SVPER. legi debere *Præfecto Prætorio Per Provinciam Pannoniam SVPERiorem* omnium ad sensu adprobatum esse BOZIVS scribit, tantoque confidentius Boëthium EX*Præfectum* Prætorio Provinciae Viennensis SECUNDÆ est commentus. Quia inventum saxum *Aquis in Slavonia Varasdien.* postrema P. P. SVPER. notare *Provinciam Pannoniam SVPERiorem*, divinus Scaliger recte vidit, & est *πρόεδρος ἀποδοχῆς ἄξιων*. At priora tria P. P. P. esse *Præfecto Prætorio Per* neque SCALIGERO, neque BOZIO umquam credam, gravissima ratione motus, quam paullo post dabo.

Quo vero modo siglas P. P. P. P. P. SVPER. interpretabimur? Nisi fallor, in Sigleri schedas, ex quibus unis Gruterus hausit, unius literulæ error irrepsit, & ex quinque P. P. P. P. P. retineri debent tantum quatuor, primum autem in V. emendari: qua emendatione solitus titulus *perfectissimatus* huic præfidi restituitur: *Viro Perfectissimo Præsidi Provinciae Pannoniæ SVPERioris*. Juvant hanc emendationem *Viri Clarissimi & Perfectissimi Præsides Provinciae Hispaniæ Citerioris & Tarraconensis paullo ante adlati*: magisque, quia Provincia Norici contermina Pannoniæ fuit, MARTINIANVS *Vir Perfectissimus PRAESES PROVINCIAE NORICI MEDITERRANEI* cujus titulum mancum habet Mur. 2023: 4. nescius integrum extare in Grut. 283: 5.

Unde & AVR. HERMODORVS V. P. P. P. N. M. T. apud Mur. 2100: 5. nulla observatione illustratus omnem lucem accipit, certissime legendus *Vir Perfectissimus Praeses Provinciae Norici Mediterranei*: haud secus ac CLAVDIVS V. P. P. P. N. M. T. in Grut. 287: 5. Nescio cur in notula ed. sec. medium P maluerint *Praefectus* interpretari. quod fecutus Holthenus ind. 20. V. P. P. P. N. M. T. D. N. M. Q. EIVS SEMPER, a Scaligero sine numeris & sine interpretatione posita, sic explevit, *Vir Perfectissimus Praefectus Provinciae Norici Mediterranei Devotus Numini Majestatique ejus semper*. 287: 5. not. Cur a Scal. eod. ind. sic data P. P. N. M. T. 287: 5. Holthenus interpretatione nulla adjuvit? Ne reliquit quidem, ut invenerat, sed male dedit, P. P. P. N. M. T. 287: 5. nam tria P, nisi V. ante primum P des, jungi non debent. Si Scaligerana P. P. N. M. T. interpretatus esset Holthenus, legisset *Praefectus Provinciae Norici Mediterranei* ex notula ed. Grut. sec. 287: 5. Nobis *Praefectus* hic non placet, sed potius *Praeses*, vel ob Grut. 283: 5. in ipsa notula ed. Grut. sec. 287: 5. optime citatum: ita & Scaligeri *Praefectum Provinc. Hispaniae* in Grut. 283: 9. minus quam *Praesidem Provinc. Hispaniae* agnovimus supra pag. LVI.

Infunt in Rein. ind. 20. quæ ad has Gruteriani faxi siglas explicandas data heic conjungo:

„M. T. Mediterraneum in 287: 5. apud Gruterum.”

„N. M. T. apud Grut. in 287: 5. Pro his Oedipum quærit Boldonus lib. V.

„Epigraph. f. 650. Exponuntur rectè de Norico Mediterraneo è 283: 5.”

„P. P. N. M. T. in 287: 5. Provinciae Norici Mediterranei apud Grut.”

Cur prius P interpretari Reinefius refugit? Vox *Mediterranei* sic scripta, pro *MEDITerranei*, ex eo scribendi more, de quo th. XXIII. egimus. Vidit id Vrfatus, T. XI. Græv. at voce M. T. non posuit, sed demum pag. 1000. extr. „V. P. P. P. „N. M. T. D. N. M. QVE. EIVS. SEMPER. Vir Perfectissimus Praefectus Prætorio Norici Mediterranei Devotus Numini Majestatique Ejus Semper. Hæc omnia in Gruterianis Indicibus inexplicata relinquit Scaliger. Si tamen post tantum virum mihi liceat, ea sic in saxo Norico legerim pag. 287: 3. (leg. 5.)” Recte cetera: at *Praefectus Prætorio* pro *Praeside Provinciae* pessime est inductus, nihilo meliore loco habendus, quam *Praefectus Prætorio Per Provinciam Pannoniam SVPERiorem*, ad quem commodissime revertimur.

Si quis a schedis Sigleri, quibus Gruterum usum esse diximus, ne latum quidem unguem recessurus, earum P. in V. nobiscum mutare religioni ducat, num eas putabit *Praepositum Per Propinciam Pannoniam SVPERiorem* legi posse? Scaligeri *Praepositus Hispaniae*, de quo pag. præc. lin. 8. cedere debuit *Praesidi Provinciae Hispaniae*. Sic si quinque P. ante SVPER. cogamur retinere, tentabo P. P. P. P. P. SVPER. accipere de *Praeside PerPetuo Provinciae Pannoniae SVPERioris*. quo modo de *Patrono Coloniae*, duobus P auctius etiam *Patrono PerPetuo Coloniae* dicto legisti supra th. XXII. ante fin. seu pag. xxxvii. fin. & xxxviii. init.

Cognosce

Cognosce de alio *Præfide Pannonia*, quem Reinesianus index quintus ignorat, ex Rein. VI: 71. non 61. ut erratur in nota Goriana ad Don. V: 98. p. 186. inque Goriana Nomenclatura inscriptionum post Reinesium datarum Cl. V: 98. omittitur. Ex Gorii opere Doniano dat. Mur. 724: 2. oscitanter: nam non modo in textu ADABO habet, sed & notulam „Vide Reinesium Class. VI. num. 61. ADAVO pro *Abavo* videtur, subjicit, ut nescias, ne de retenta Gorii mala citatione repetam, ADAVO an ADABO (quod idem esset ac *Atavo*) debeat esse in textu. Immo neutrum, sed, ut est in Rein. & Don. ABABO i. e. *Abavo*. Saxum primo ab Reinesio datum erectum MVNATIO PLANCO PAVLINO V. C. PRAESIDI PANN. PER ANN. XXVII. Virum hunc clarissimum præfuisse Pannoniæ Primæ erudite docet celeberr. Wesselingius ad Ant. Itin. p. 657. b. *Pannonia Prima eadem Pannonia Superiori*: cujus *Præsidem PerPetuum* Catulinum fuisse, num Paulinus ejusdem Provinciæ *Præses per annos XXVII.* male suadet? CATVLINVM aut *Virum Perfectissimum Præsidem*, aut *Præsidem PerPetuum* admittere possumus, minime *Præfectum Prætorio Provincia.*

PRAEFECTVRAM PRAETORII, ἀρχὴν δευτέραν μετὰ τὰ σκήπτρα, sub prioribus Imperatoribus interdum ab uno, sed plurimum a duobus, at communiter non divisim administratam, Constantinus Magnus, hoc etiam nomine τὰ καλῶς καθεστώτα κινῶν a Zosimo 2: 33. notatus, quod primum ex tetrarchiâ Imperatorum & Caesarum, qui Constantinum præcesserunt, fluxisse observat Gothofr. ad Cod. Theodof. lib. 6. tit. 35. leg. 5. ita divisit, ut *Præfectos Prætorio quatuor* institueret, & singulis suum assignaret tractum: I. Orientis. II. Illyrici. III. Italiæ. IIII. Galliarum. Sub his *quatuor Præfectis Prætorio* per totum imperium fuisse Diœceses omnino tredecim, hasque comprehendisse provincias centum & duodeviginti, scite præcepit Ant. Pagius Crit. in Baron. ad a. Cti 37. ceu rem cuilibet Ecclesiasticæ etiam historiæ studioso apprime utilem, & scitu maxime necessariam, confecto indiculo ex Notitia utriusque imperii, de cuius libri præstantia v. ad Bouh. p. 46. *fn.* Quod si *Præfectum Prætorio Alpium Maritimarum*, seu *Viennensis secunde* cum BOZIO; aut *Præfectum Prætorio Pannonia Superioris* cum SCALIGERO admittimus, quot provinciæ in diœcesibus fuerunt, tot Præfecti Prætorio fient: non quatuor, sed centum & duodeviginti. id quod omnes imperii tantummodo per quatuor præfectos prætorio administrati rationes conturbat & evertit. Quoties *Præfectos Prætorio provincia* unius, quales in veterum libris ulli nusquam leguntur, ex inscriptionibus quibusdam antiquis in scenam producant docti, ab moribus antiquis deflectitur, & παρερμηνεία est siglarum, quidvis potius, quam *Præfectum Prætorio* in lapidibus istis significantium. Operæ est, rem exemplis cognoscere ex indice Scaligerano quinto.

PRF. PRT. 418: 8. Ita index 20. Scaligeri, quem interpretationem oppido facilem *Præfecti Prætorio* omisisse notat Fabrett. Emend. Grut. p. (x.) Omisit eandem & Holthenus, Fabretti Emendationes nondum tunc consulens. Cognosci autem potest interpretatio, ut Fabrettus recte dicit, oppido facilis ex ipsius Scal. ind. 5.

„Præf. Præt. aut PRÆ. PRT. 418: 8. 1094: 6., Jam vide, quæ eod. ind. 5. Scaliger centuriavit, *Præfctis Prætorio Provinciae unius male patrocinantia.*

A.

Præf. Præt. * AEEM. 1028: 2.] Asterisco adposito monuit vir divinus, 7^o AEEM sibi non intellectum videri in mendo cubare. Posset videri PRAEFecto PRætorio AEMilia legendum: tuncque *Præfctum Prætorio provinciae unius haberemus.* Erat enim *Aemilia* ex XVII. provinciis Dioeceseos Italiae. Sed quid tunc de V faxi post AEEM omisso a Scaligero fiet? Fuit quum putarem, editum a Grutero commodissime explicari PRAEFecto PRAETorio EMINENTISSIMO Viro. Eminentiae dignitas, ad cuius gradum fastigii & TE, CARDINALIS EMINENTISSIME, TVAE virtutes ante annos XXII. jam devocarunt, ab officio Præfcti Prætorio minime aliena fuit. Vel in Cod. Theodof. lib. VI. tit. VIII. leguntur, qui *Eminentissimam Prætorianam & Urbanam meruerint Præfcturam.* Sed ab hoc gradu nescio an depulsus sim ab amico nostro, doctissimo GORIO, qui Inf. Etr. T. II. p. 189. hoc faxum post Gruterum proferens PRAEF. PRAE. EM. V. habet, & erudite interpretatur PRAEF. PRAETorio. ITEM Vrbi. Ex notula Gudiana ed. Grut. fec. pulcrius etiam, quam ex libro Goriano intelligimus, 7^o E in PRAE versu quarto extremo superne T in-nexum esse. Si versus quinti initio † i. e. IT (de quo v. ad GORIVM a me scripta in *Τεσσαρακοσολ.* p. 489. lin. 24.) aut ante EM incisum esset, aut 7^o E superincumberet, totus in Gorii partes transirem. Sed si 7^o EM. lineola tantum superjacuit, non tres literæ connexæ, ITE, in faxo indicantur: sed lineola, ut passim in libris & faxis, nonnisi figla est vocis non integre incisæ, quam EMINENTISSIMO cur legerim, dico. Blandiebantur mihi, quæ proxime sequuntur, similem tituli figlam post dignitatem demum subjungentia PRAEF. VIGVL. P. V. i. e. PRAEFecto VIGVLum Perfectissimo Viro, ut interpretatur p. 195. ipse GORIVS K. NB. i. e. *Kavissimus NoBis* (quibus figlis Imperatores olim ad magistratus suos scribentes usos esse novimus) citans Gruterum 1086: 9. 10. & Fabretum p. 278. n. 170. Adde Gor. ad Don. III: 76. p. 132. sed & Fabr. p. 334. a. L. qui prior Gorio ob ipsam *Præfctorum Vigilum* titulum hunc *Perfectissimorum Virorum* citarat Grut. 1086: 9. 10. Utrum præstet, ITEM Vrbi, an EMINENTISSIMO Viro, EMINENTIA QVIRINI decernet. In ind. Goriano 17. seu Rerum, quem Tomo III. adjunxit labor GORII, „*Perfectissimi* „*titulus cui datus.* I. 195. 196., pro I. 195. 196. corrigendum II. 195. 196. v. epp. epigr. p. 384. lin. 21. & p. 388. lin. 4. Sequitur in ind. 5. Scaligeri,

B.

Præf. Præt. C. Cæsar. 395: 6.] Holthenus, quia numeros fallentes restituere non poterat, sublatis numeris vacuum reliquit. Pro 395: 6. legendi sunt numeri 345: 6. ubi PRAEFECT. C. CAESARIS legitur: unde vides, male Scaligerum voc. *Præfctus Prætorio* dedisse, quæ in prioribus voc. *Præfctus* dare debuisset: ut ind. 7.

recte

recte datus est *Præf. C. Casaris*, sed additis & ibi fallentibus numeris 447: 10. quos quia in 345: 6. corrigere Holthenus non valuit, itidem omisit, spatium relinquens aliis implendum. Hæc ad *Præfectum Prætorio provincia* unius nihil facientia omittebam, nisi opportune credidissem adduci, ut monerem, a Scal. ind. 5. voc. *Expræfectus* datum esse *Expræfectum Nemausi*. 151: 6. qui eodem jure auctius *Expræfectus Prætorio Nemausi* poni, & præterea *Expræfectus Prætorio Gallæcia* addi ab eo potuisset: nam ind. 10. utrumque *Nemausum & Gallæcia* ex 151: 6. dedit. Si quæras, an *Expræfectum Prætorio Nemausi & Gallæcia* probassem: responsum feres, me, qui *Præfectos prætorio provincia* unius non admittendos censeam, & vel hoc argumento *Expræfectum prætorio Gallæcia* respuissem, multo minus *Præfectos prætorio urbis* unius admittere, ne *Præfectos prætorio* tot agnoscamus, quot erant olim non provinciæ, sed urbes illustriores. Apagelis sive *Expræfectum tantum Nemausi*, sive *Expræfectum Prætorio Nemausi*, una cum *Expræfecto Prætorio Gallæcia* ex Grut. 151: 6. in quo omnis *Nemausi & Gallæcia* memoria est abolenda. nam v. 5. NEMA ----- GALLACIAE legendum non NEMAVSI ET GALLAECIAE, sed NEVIA GALLA CLARissima ex Sirmondo ad Sid. Apoll. p. 59. & ex Sponio editores Gruteriani notula b. recte monuere. at iidem v. 4. extr. GALLIarum ET, & v. 5. extr. MATERFAMILIAS, quæ ed. prior recte habet, pessime interciderunt sunt passi: nisi que editionem Gruteri priorem consulas, ex ed. sec. nequeas intelligere, verissime a Scal. ind. 5. datum esse „Ex Præf. Præt. Galliar. „151: 6.„ Qui porro ind. 5. datur,

C.

Præf. Præt. Illyrican. secundus per Prov. Pannon. 415: 7.] infeliciter Scaligero natus est, in explicandis ceteris siglis non minori audacia, quam felicitate uso, ind. 20. RA. O. S. *Rationali operum sacror. id est operum domus Divinae, sive Augustæ.* 415: 7. Item, LEG. GR. V. *Legatus gratuito quinquies.* 415: 7. Nonne heroem audacem fortunam juisse dicemus? Ex tribus his indicum Scaligeranorum, quinti & vicesimi, locis concinnata a Gudio est, quam ed. Grut. sec. 415: 7. explicationem subjecit siglarum Gudianam, in qua inter *Gratis* & *Procuratori* excidit vocabulum numerale *quinquies*. Pessime autem SECVNDVS, quasi dandi casu legeretur SECVNDO, & appellativum esset, acceptum est. *Præfectus Prætorio Illyricano* nonnisi unus fuit, non duo: qui ergo *secundus*, isque cum appendice *per Prov. Pannon.* inducitur? SECVNDVS heic est proprium nomen viri clarissimi, qui monumentum fecit; totiusque saxi syntaxis pulcerrime sic fluit: M. GAVIO. MAXIMO. PRAEFECTO. PRAETORIO. ILLYRICANO. SECVNDVS. Praef. Provincia. Pannonia. RATIONALIS. Operum. Sacrorum. LEGATUS. GRATUITO. V. (i. e. quinquies) PROCURATOR. AVGVSTI. AMICO. Pergo ad

D.

Præf. Præt. Nervæ & Trajani prov. Hispaniæ citer. Asturiæ & Calliciarum. 193: 3.] Ita plenius Holthenus: Scaliger nonnisi *Præf. Præt. Nervæ & Trajani prov. Hispaniæ.* 193: 3. Expungendus est hic *Præf. Præt.* Si enim saxi PR. PR. deberent conjungi,

jungi, PROPRATOR legendus esset, non PRÆFECTUS PRATORIO. At PR. PR. dividenda sunt: manifesto enim prius PR. ad priora saxi pertinet, PRATORIA significans. id quod Reinesium satis perspexisse cognoscimus ex hac ed. Grut. sec. ad posterius PR. notula „an P. V. ut epitheton cohortis PIAE VICTRICIS. Reines.“

Cohortes Prætorias constat frequenter siglis P. V. ornari: quæ quum doctos diu exercuissent, & a Fabretto non ut vulgo PIA VICTRIX, sed nove Prætorii Urbis lectæ essent Insc. p. 140. a. L. & b. I. (unde & Holthenus ind. 20. post Scaligerana PR. P. V. Prætoria, PIA, VICTRIX sc. Legionis, adjecit, sed v. Fabrett. inscr. p. 140. non animadvertens, pro Scaligeranis sc. Legionis scribi debere sc. Cohortis) ex monumento nostra demum memoria eruto didicimus, Cohortium harum epitheton fuisse PIA-RVM VINDICVM. de quo in præsentiarum malo filere quam pauca dicere.

In Grut. 193: 3. posterius PR. ad priora non trahi, multo minus cum Reinesio in P. V. mutari debet; ne, qui sequuntur genitivi non habeant unde regantur, & male hærentes relinquuntur. TRIBUNUS MILITUM COHORTIS V. (quintæ) VIGILUM (ita emendandum, non legendum VICTRICIS cum Scaligero, a quo ind. 6. Cohors V. VICTRIX ex uno lapide 193: 3. dari quita est. Similia menda alibi occurrunt, & correxit unum Fabrettus de Col. Traj. p. 238. C.) TRIBUNUS COHORTIS XII. VRBANA, TRIBUNUS COHORTIS V. PRÆTORIAE (in plurimis saxis Cohortes Urbanae & Cohortes Prætoriae una leguntur, in quibusdam præterea & Cohortes Vigilum: vide vel Gruterianum de quo supra p. LXII. lit. A. ob Præf. Præt. * AEEM dictum 1028: 2.) PRÆFECTUS (aut PRÆSES, aut PROCURATOR) DIVI NERVAE ET IMPERATORIS CAESARIS NERVAE TRAIANI AVGVSTI GERMANICI PROVINCIÆ HISPANIAE CITERIORIS ASTVRIÆ ET CALLAECIARVM, FLAMEN DIVI CLAVDII, DEDIT IDEM-QUE DEDICAVIT.

Muratorius ut ἀνένδοτον protulit bis: primo 836: 3. e schedis Belloniis apud Apostolum Zeno, versuum extrema tantum dans, licet male ad sinistram adponat diffracti lapidis notas, quas ad dextram seu initio versuum potius dari oportebat: deinde 874: 4. e schedis suis cum hac observatione: „Digna erat inscriptio, quæ temporis injurias non sentiret, aut diligentiolem inveniret descriptorem. Modestus „iste fuit Procurator Divi Nerva &c.“ Nescit diligentiolem nactam exscriptorem ante, quam temporis injurias sentiret, Benedictum Georgium, Patricium Venetum, a quo Gruterus accepit. Rectius schedæ Muratorianæ COH. V. VIG. quam Georgianæ COH. V. VIC. Illa emendationem nostram contra interpretationem Scaligeri unice firmant. Recte item Muratorius PR. PR. vidit disjungendum, posterius PROCURATOR legens.

Certum hoc nobis esto, PRÆFECTUM PRATORIO in Tergestino saxo non legi. Posterius autem PR. variis interpretationibus recipiendis aptum esse video, & quia nil frequentius in lapidibus quam Legati Augustorum Propratores provinciarum, facile adducor, ut suspicer inter duo PR. PR. excidisse voces duas LEG. PR. quibus immixtis
prono

prono alveo fluet oratio, TRIBUNUS COHORTIS V. PRATORIAE; LEGATUS PRO PRATORE DIVI NERVAE ET cet. quo posito LEG. PROPR. DIVI. AVGVSTI. ET. TI. CAESARIS. AVGVSTI. est in Grut. 396: 1. vixque dubitabis in saxo Dacico admodum corrupto apud Grut. 399: 6. pro LEG. PRI. IMP. emendari debere LEG. PR. PR. IMP. quo modo jam Scaligerum voluisse dicerem, quum ind. 5. daret, *Leg. Aug. Pr. Præ. Provinciae Daciae*. 399: 6. 465: 2. 493: 1. nisi inspectis saxis tribus, quæ citat, vidissem, in unum ea faciem a Scaligero esse colligata, quod *Legatos Imperatorum Provinciae Daciae* referant, non quod in iis æque *Legati PR. PRAET.* vocentur, hinc mox eod. ind. 5. ex uno saxo 399: 6. datus ab eo est *Legatus Pri. Imp. Antonini Prov. Daciae*. Sed PRI. hoc num præstat *Placitum*?

In Tergestino lapide Grut. 193: 3. quia PR. ter aderat, ab exscriptore, nisi marmorarius ipse culpæ proximus fuit, saltus videtur factus a primo PR. ad tertium PR. unde media LEG. PR. omissa sunt. v. de hujusmodi omissionibus in *Tercæ*. p. 492. lin. 20. Quid? quod in ipso hoc saxo exscribendo simile peccatum admissum est. Apianus enim p. 352: 4. Smetius 144: 9. (ab Holth. in Add. collatus) Lazius Comm. R. R. 5: 8. (non 8: 8. ut in ed. Grut. sec. citant) & Scal. ad Euf. p. m. 223. b. pro TRIB. MIL. COH. V. VIG. TR. COH. XII. VRB. TR. COH. V. PR. non habent nisi TRIB. MIL. COH. V. PR. quia exscribentis oculi a priore V. ad posterius V. subito deerrarunt.

Tergestinum lapidem hactenus diximus *Præfectum Prætorio provinciae* non habere: Smetius tamen in eo non quidem *Præfectum Prætorio provinciae*, sed tamen *Præfectum Prætorio* sibi invenisse est visus. de quo quid habendum sit, prius dicam, quam ad reliquos *Præfectos Prætorio provinciae* Scaligero agnitos descendam.

E.

In Smetii notarum explicatione hæc leguntur

„P. P. 144: 9. videntur notare: Præf. Prætorio.

„P. P. P. Præfectus Prætorio Provinciae.

„P. P. 75: 9. & 77: 7. Idem notare videntur.,

In 144: 9. seu Grut. 193: 3. P. P. BIS. LEG. XII. FVLM. ET LEG. I. ADIVTRIC. minime *Præfectus Prætorio*, ut Smetio visum est, notatur, sed Legionum duarum *Præpositus*, aut *PrimiPilus*. Etli enim utra siglarum P. P. sensu militari ita occurrentium interpretatio certior sit, nondum inter doctos conveniat, neque desint, quibus tertia quædam explicatio *ProPræfectus*, aut aliud quid placeat: quam controversiam minime nunc meam facere volo: de hoc tamen satis constat, *Præfectos Prætorio Legionum* aut *Cohortium* olim nullos fuisse.

Idem judicabis, scio, de Smet. 75: 9. seu Grut. 359: 4.

Neque dissenties, credo, de Smet. 77: 7. seu Grut. 451: 3. licet post P. P. BIS. neque legionum, neque cohortium mentio addatur, eadem ellipsi, qua sæpe

& TRIBuni MILitum BIS ἀπλῶς leguntur, non subjunctis legionum aut cohortium nominibus.

Mur. 487: 3. PP. BIS. TRIB. COH. VIII. PRætorie. An legiones aut cohortes omiffæ sunt, quarum PP. BIS fuerit *Pansa*? [Ia Grut. 487: 6. vel 7. explicate P. P. BIS. TRIB. COHH. X. PR. XI. VRB. III. VIG. Possumus enim explanare, P. P. Coh. X. Prætorie, P. P. Coh. XI. Urbane, Tribun. Coh. III. Vigilum. ne P. P. BIS. TRIBus COHH. accipiamus cum Holtheno, qui hoc supplementum, sine ullo indicio, se dedisse, non Scaligerum, indici Gruteriano sexto intexuit, *Præpositus Cohortibus Tribus*. 487: 7. Cur ind. eod. Scaligeranum *Coh. III. Vic.* 487: 7. ubi *Vic.* in *Vig.* debebat corrigere, retinuit?] An COHortis VIII. PRætorie non modo TRIBunus, sed etiam PP. BIS. idem *Pansa* diversis temporibus fuit? Errat haud dubie Muratorius ind. suo 3. dans, *Flamen Divorum Vespasiani, Trajani, Hadriani PP. bis.* 487: 3. Quis enim ἴδῃ PP. BIS sensus esset, si cum FLAMEN jungeremus? an FLAMEN PerPetuus? tunc BIS ridicule esset additum. conf. Grut. 193: 3. seu Mur. 874: 4. de quo his literis D. & E. egimus, in quo *Modestus v. i. P. P. BIS legionum duodecime & primæ*, & v. 5. seu ultimo demum, FLAMEN DIVI CLAUDI inscriptus est, minime P. P. BIS FLAMEN, aut FLAMEN PP. BIS.

De Smetiano P. P. P. Præfectus Prætorio Provincia, quia numeri nulli adduntur, cogor tacere. taceo tamen lubens, non modo quia omne mihi otium faciunt, quæ de P. P. P. H. C. vel T. ad Smet. 156: 7. seu Grut. 281: 1. supra p. LVI. disputare cœpi, sed etiam ut ad reliquos Scaligeri Præfectos Prætorio provincie unius citato gradu descendam. Ergo expunctum a nobis lit. D. Præfectum Prætorio Nervæ & Trajani Prov. Hispanie (citer. Asturie & Callæiarum) in Scal. ind. 5. excipit

F.

Præf. Præt. Pro. Galat. 1013: 4.] Est ibi L. FABius. VALERIANVS. PRO. PRætor. PROVincia. GALAtie. PROCurator. PROVincia. AFRica. VISu. ADMONITVS. (ita VISV MONITVS in Grut. 70: 7. & 130: 11.) Sic PROPRator PROVincia GALLie est in Mur. 1100: 3. Scilicet PR. PR. non minus ac PRO. PR. pro *Pro Pratore* toties in lapidibus occurrere, ut Scaliger ind. 20. utrumque interpretari contentus faxa citare supervacaneum duxerit. Reinesius ad II: 26. lit. d. ex hoc Gruteri faxo PRO PR. PROV. GALAtie: PRO-PR. PROV. ARABie, tanta adfert confidentia, ut non Gruteri sed meliore typo usum credas, quem tamen citat nullum, sed Gruterum tantum. In Grut. ed. sec. adest notula, nescio unde hausta, „Pro „PROC. Reines. PR.„ Puto editores Gruterianos dare voluisse, Pro PROC. Reines. PROPR. neque tamen ex Reinesio ad II: 26. lit. d. desumpsisse. Cur enim tacuissent de Reinesii ARABie pro AFRica? Prodeat tandem

G.

Præf. Præt. Prov. Gal. 286: 4.] Sic a Scal. ind. 5. datum mirum est ab eodem sic ind. 6. seu militarium dari „Præf. PR. PR. Gal. 286: 4.„ Tò PRAEF. mendosum

sum epitheta LEGionis VI. habere, PIAE Felicis, & quæ sequuntur non de PRAEFECTO PRATORIO PROVINCIAE, sed de PRO PRATORE PROVINCIAE GALATIA mihi eram interpretatus, quum inuenio saxum hoc post Gruterum adferri a Mur. 264: 5. ubi ex Ligorio habet, quod nos pulcherrime expediat, PRAEFEC. LEG. VI. PIAE. FEL. PR. PR. PROV. GALL. PROC. XX. HER. EIVSD. Bene Mur. ind. 10. Praef. Leg. VI. Pia Fel. 264: 5. nec non ind. 9. Propret. Provinc. Gallie. 264: 5. Addendum ibi 1100: 3. ex quo paullo ante adduxi PROPR. PROV. GALL. Tandem ind. 11. „Proc. XX. Hered. Augusti. „264: 5.„ Turbat ultimum hoc Augusti, pro quo dandum fuisset Prov. Gallie. Nam 70 EIVSD. non ad Valentem Imp. initio saxi positum redit: sed ad proximum PROV. GALL. ut in Grut. 493: 1. v. 10. PROC. AVG. XX. HEREDITATIVM. PROV. NARBONENS. ET. AQUITANIAE.

Eliminatis hactenus Praefectis Pratorio Provinciae unius, a SCALIGERO in ind. 5. & 20. male admisis, qui posset placere Praefectus Pratorio Provinciae Viennensis SECUNDÆ a BOZIO prolatus? Nonne qui prius uni alicui provinciae praefuerunt, postea ad praefecturam praetorii promoti demum evectique sunt? In inscr. Torigniacensi, ex qua verba quaedam huc facientia ex Maff. Ant. Gall. sel. p. 77. potius, quam vel ex Mur. 575: 1. vel ex Bimardo in Mur. Proleg. pag. 10. cur citem, ex iis, quæ ad Nobiliss. Blaurerum p. (13.) (14.) scripsi, intelliges, mentio est

AEDINI IVLIANI

LEG AVG PROV LOD QVI POSTEA PRAEF

PRAET FVIT SICVT EPISTVLA QVAE AD LATVS SCRIPTA EST

DECLARATVR

Nonne vel in Arelatenfi columna miliaria a Grut. 159: 8. & post eum toties edita AVXILIARIS minime Praefectus Pratorio Provinciae Viennensis (in qua Arelate & Massilia sitæ) sed PRAEFECTUS PRAETORIO GALLIARUM cluet? Verissime. Nam

Provinciae Galliarum omnes nonnisi unum habebant Praefectum Pratorio, dictum Praefectum Pratorio Galliarum, & quidem ita, ut sub uno hoc GALLIARVM nomine tres hujus Praefecti Pratorio dioeceses simul sint intellectæ, Gallie, Hispanie, & Britannie. quo modo Praefectus Pratorio Italiae uno Italiae nomine venit, licet tribus dioecibus praefectus esset, Italiae, Illyrico (occidentali) & Africa. Eadem ratio Praefectorum Pratorio Orientis, & Illyrici (orientalis.) sub illo quinque, sub hoc duæ dioeceses erant.

Ex veterum libris & lapidibus novimus, interdum eundem hominem non unum tantum Pratorio fuisse praefectum, sed simul fuisse v. g. Praefectum Pratorio Italiae & Galliarum: contra ea accidit etiam, ut Praefectus Pratorio dioeceseos tantum unius esset: v. g. Praefectus Pratorio Africa: Praefectus Pratorio Illyrici (occidentalis.) unde Praefectus Pratorio Italiae, Illyrici & Africa quoque Praefectus Pratorio ter, seu pratoriorum trium; sique praeterea Galliarum praefecturam administravit, Praefectus Pratorio quater, seu pratoriorum quatuor appellatus est. v. Pancirol. Not. Imp. Occid. cap. 2. p. m. 8. b.

Gothofred. ad Cod. Theodof. lib. 1. tit. 1. leg. 2. & quæ de Probo *Præfecto Prætorio* ter aut quater scripsi ad Bouh. p. 218. -- 221. At Hypatii *Præfectura gemina* Amm. Marcellino 29 : 2. laudata non de præfecturis duorum prætoriorum, Italiae & Africae, sed de præfectura Urbis, & præfectura prætorii unius, (Italiae, cujus tres diœceses erant) accipitur a Valesio & Gothofredo, ut supra th. XVIII. pag. XXXI. vidimus.

Quæ modo dixi de *Præfecto Prætorio diœceseos* unius plures provincias complexæ, prorsus nihil præsidii adferunt *Præfectis Prætorio provincia* unius cum aliis provinciis in una diœcesi conjunctæ, quos viri doctissimi SCALIGER & BOZIVS, alique plures sibi finxerunt. Quid? quod dubito, an ullo exemplo constet, *Præfectum Prætorio diœceseos* unius umquam fuisse, a Præfecturis Prætorii Italiae, Illyrici, & Africae si discesseris. Nusquam certe legimus *Præfectum Prætorio Aegypti*; nusquam *Macedonia*; nusquam *Britanniarum*.

Fac etiam *Præfectum Prætorio Hispaniarum* (quem quidam invenisse sibi sunt visi) aliquando fuisse, ita ut *Præfecto Prætorio Galliarum* tunc *Hispania* non subfuerint; ex hoc quidem hercle *Præfecto Prætorio Hispaniarum*, ceu *diœceseos* unius, ne hilum quidem proficiat eorum sententia, quibus Præfectus Prætorio *Hispania Citerioris* vel *Tarraconensis* in mentem venit. *Provincia* enim *Hispania citerior* vel *Tarraconensis* pars tantum *diœceseos Hispaniarum* esset: provincia diœceseos, non diœcesis ipsa. Idem sentiendum & de SCALIGERI *Præfecto Prætorio per provinciam Pannoniam superiorem*; & de BOZII *Præfecto Prætorio Provincia Viennensis SECunde*.

GVTHERIVS de Off. Dom. Aug. 2 : 7. T. III. Thef. Sallengr. p. 426. „Mirari „ego satis non possum eorum imperitiam, qui Præfectum Præt. Hispaniarum somniant. „In Martyrologio in persecutione Diocletiani, Præfecto Hispaniarum Daciano, Leocadiam Virginem dirâ carceris custodiâ maceratam legimus 9. Decemb. Sed Præfectum Dacianum non dicit Prætorii; & Præfecti nomen simpliciter prolatum pro „quovis Rectore Provinciae accipitur, ut in eodem Martyrologio sequenti die Dacianus Præses dicitur. Nec me movet inscriptio legis C. Theod. & Justin. quæ est Imperatoris Arcadii & Honorii ad Macrobius pp. Hispaniarum. l. 3. C. de proxim. „sacror. scriin. & l. 15. C. T. eod. Hæc enim litterarum pp. geminatio sine interpunctione Præsidem aut potius Proprætorem denotat. „Ante omnia pessima citatio de proxim. sacror. scriin. corrigenda est in *de paganis*: ut recte citavit Pancirolus ad Not. Imp. Occid. cap. 67. de Vicario Hispaniarum p. m. 96. cui Macrobius Præfectus Prætorio Hispaniarum placuit, irruentibus in eam provinciam Barbaris seculo quarto præcipite primum, ut putabat, constitutus. At ICTus perfectissimus Gothofredus ad illam Codicis Theodof. legem post Valesium ad Amm. Marcell. 14: 5. not. k. de *Pro Præfectis* i. e. *Vicariis* commentatus, Pancirolus & Gutherio argumenta gravissima opponens eruditissime contendit, siglas pp. accipiendas esse neque de *Præfecto Prætorio*, neque de *Pro Præatore*, (multo minus de *Præsede*, qui duobus pp. numquam scriptus est: saltem *Præsidem Provincia* dicere debuisset Gutherius) sed de *Pro*

Præfecto, aut rescribendum esse unico P addito PPP. Pro *Præfecto Prætorio*, qui idem fuerit *Vicario Hispaniarum*. Contenti sumus hoc Catone, ut in Gutherio pergamus.

In Lazium deinde de *Præfecto Prætorio* magnas nugas garrientem invectus Gutherius, tandem, *Hæc quidem*, inquit, *non Reipublicæ Romanæ Commentaria, sed ægri hominis commenta dixerim*. Fuit certe Lazius inscriptionum antiquarum & exscriptor pessimus, & interpret non melior. v. ad Bouh. p. 212. lin. 31. & quod nuperrime Lipsia accipi Periculum Animadversionum in *Classicos Inscriptionum editores literatissimi Christophori SAXII*, in Belgio literato nunc versantis, p. 21. ubi ob id ipsum meam quoque Diatribam memorare non fastidivit. Benigne de LAZIO judicare non potuerunt, quotquot hominis commenta legerunt. Festive Rupertus ad Rein. ep. 47. p. 444. *init.* „Lazius fuit Lazius. cujus commentarios de Rep. Rom. quum „intueor, poenitet me pecuniæ, qua e bibliopolio Francofurtensi mihi comparavi. „Adlusum est ad germanicum *lât*, i. e. *verfehrt*, *inversus*, *perversus*. Reinesius ad Rup. ep. 50. p. 462. *med.* „De *Lazi Commentariis* idem quod nos judicavit *Jac. Guther. l. 2. de offic. Dom. Aug. c. 7.* eò quoque provecus stomacho, ut *ægri hominis commenta* „adpellet. „ & Var. Lect. 3: 16. p. 612. *Gutherii libros de officiis domus Augustæ* tantopere celebravit, quantopere *Lazii commentarios Reip. Rom.* exhibilavit, *ὡς ἀνοργιάστου τινός, καὶ ἐξερμῆντος ὃ ἐκ ἐπέφεν.*

Ex GVThERII verbis nata est notula Gudiana, quam quia supra, quum de Grut. 277: 7. agerem pagg. LVI. LVII. adtingere sum oblitus, ex Grut. ed. fec. nunc adpono. * PR. PR. hoc loco *Proprætorem significant*, non, ut Lazius voluit, *Præfectum Prætorio*. Vid. *inscript. 1. pag. sequ. PRO. PR. PROVINCIÆ. HISPANIAE. CITERIOR.* Vide & Guther. l. 2. de off. dom. Aug. c. 7. GVD. quem nonnisi Gutheriana brevissime contracta dedisse, Lazium non evolvisse, verum est. Gutherium legere quum inciperem, animo præcipiebam, Gutherio hanc mihi viam præeunte, faxi Gruteriani singulares literas P. P. Lazium de *Præfecto Prætorio* interpretatum esse, non 7^a PR. PR. Quum vero pergerem legere, Gutherium a via, quam institerat, deflexisse, meque præter opinionem meam ad PR. PR. abductum vidi. Neque profecto in Gutherii verbis ad veram interpretationem siglarum P. P. faxi Gruteriani quidquam deprehendas. PR. PR. non esse *PRæfectus PRætorio*, sed *PRO PRætor* verissime scriptum est a Gutherio, & optime firmatum ex PRO. PR. in Grut. 278: 1. Sed literis singulariis PP. quid inde lucis? Si legatur *Vir Clarissimus Pro Prætor HISP. CIT. LEG. AUG.* (ita in Guth. at AUGG. in Grutero) *PRO PRætor*, oratio lachanizat, & betizat. Pleonafimos tam fatuos lapides non loquuntur.

Ita incertissimus ego, quid de hoc P. P. Gutherius sentiret, quem præclarissime, *Præfectum Prætorio Provinciæ unius* fingi non debere, præcipientem, manum mihi adiisse, i. e. a P. P. ad PR. PR. saltum fecisse, neque amplius de P. P. explicando cogitasse, vix æquo animo ferebam; cupidior factus sum adeundi ipsius LAZII libri Nec mora: Lazium minus Lazium, Gutherium minus bonum, cognovi. In *Com-*

mentariis enim *Reip. Romanae* lib. 2. c. 1. p. 131. edit. Basil. Oporini LAZIO placuit, fidei ergo monumenta quaedam vetustatis adferre, in quibus hujusmodi tituli literis repraesententur, V. C. V. P. P. P. hoc est, Vir clarissimus. Et iterum, Vir Perfectissimus Praefectus praetorio. Profert ergo de titulo *Clarissimi* in Hispaniis apud Tarraconem eruta monumenta duo, quorum postremos tantum versus nos adducimus, ut in LAZII libro extant sibi objacentes:

M. AVRELIVS VALENTINIANVS V. C. P. P. HISP. CIT. LEG. AVG. Id est, Vir Clarissimus Praefectus praetorio Hispaniae Citerioris.

M. AVR. VALENTINIANVS V. C. PRAESES PROVIN CIAE HISP. CIT. LEG. AVG. PR. D. N. M. EIVS.

ex quo liquidissime de toto sensu LAZII judicabitur, eum siglas P. P. non siglas PR. PR. (quæ in utroque apud Lazium saxo ne comparent quidem) interpretatum esse *Praefectus Praetorio*. quod ipsum ab eo factum est pessime. Nisi mens ei fuisset laeva, ipse se emendare, & sapere potuisset ex lapide, quem priori seu dextro in libro suo ad sinistram adposuit; in quo quia extense PRAESES PROVIN CIAE HISP. CIT. scriptum esse non potuit non videre, cur non eadem opera vidit, in priore P. P. non *Praefectus Praetorio*, sed *Praeses Provincia* legendum esse?

Fallitur Gutherius, posteriorem inscriptionem eadem pagina a Lazio subjectam seu ad latus prioris adjectam dicens esse Gruterianam 278: 1. Est enim Gruteriana 278: 2. vel 3. Neque ex Gruteriana 278: 1. quam Lazio ignoravit, refutari Lazio potest, nisi cum Gutherio male existimes, Lazio PR. PR. non P. P. interpretatum esse: at neutram apud Lazio inscriptionem PR. PR. habere modo dixi. ita & Maffono, qui P. P. apud Grut. 277: 7. in *PROVINCIA* ex Grut. 278: 1. mutare instituerit; non optime cessisse supra pag. LVIII. *lin.* 10. scripsi: 7^o P. P. enim fulciri ex Grut. 278: 2. & 3.

Non modo Gudius in notula ed. Grut. sec. secutus est Gutherium, malum Laziani sensus interpretem: sed & Gothofredus ad Cod. Theodof. *de paganis*, seu lib. 16. tit. 10. leg. 15. p. 312. b. *post med.* edit. Ritterian. non accuratissime: „Error, „inquit, est Lazii, qui *lib. 2. Comment. 2.* ita quoque has notas PP. HISP. CIT. in „inscript. apud Gruterum 277: 7. interpretatur, pro Praefecto Praetorio Hispaniarum: „quem refutat altera mox apud eundem 278: 3. ubi idem Valentinianus sub Caro „Imp. expansis literis vocatur PRO PR. PROVIN CIAE HISPANIAE CITERIORIS, „quod a Gutherio recte notatum 2. *de offic. dom. Aug. c. 7.* „ Lazio P. P. (non PR. PR.) interpretari conatum esse in lapide Valentiniani, vere scribit Gothofredus, fecus ac Gutherius. at cum Gothofredo & Gutherio verbis PRO PR. PROVIN CIAE HISPANIAE CITERIORIS inscriptionis Grut. 278: 1. (sic enim in Gothofredi verbis legendum, non 278: 3.) si utare contra Lazio, num boni quid inde procudes, numve siglas P. P. a Lazio *Praefectus Praetorio* pessime lectas rectius legere ex Gothofredo & Gutherio discimus? Num ambo dicendi sunt legisse V. C. *ProPraetor* HISP. CIT.

CIT. LEG. AVGG. PRoPRatore? quid inanius? quid jejunius? Neuter contra Lazium ita legere voluit. Quid ergo præstiterunt? τοῖς P. P. in Grut. 277: 7. lucem adlaturi luculentam, uterque hisce duobus P P obscurissimis ne faculam quidem adluxerunt, & quod minime putarunt, tantummodo Lazianum nullius pretii interpretamentum Præfectus Prætorio in tenebris confoderunt, Andabatarum more pugnantes.

Has LAZII vindicias me ita vides dedisse, ut quidquam veri de P. P. in ejus interpretatione quæri posse minime velim. neque LAZIVS is fuit, ut P. P. interpretari potuerit. qui non modo paullo ante eod. cap. 1. lib. 2. p. 129. siglas tritissimas LEGatus AVG. PR. PR. ineptissime AVGVstalis PRæfecturæ PRætorianæ legendos pronuntiavit, sed & paullo post in fine ejusd. cap. pag. 132. siglas P. P. in titulis Imperatoriis, in quibus eas Patrem Patriæ significare lippis & tonsoribus notum est, Præfectum Prætorio insinuare, lectori pio, ut inquit, i. e. stupido persuadere est ausus. Quid scitis LAZII incitius? Commentaria ejus, μέγα βιβλίον, μέγα κακόν.

Quia Gutherius & Gothofredus Lazii libri secundi caput secundum citant, licet Gutherio, duo quippe Valentiniani saxa ab Lazio simul adducta memoranti, caput primum in oculis quoque & mente fuisse necesse sit, en Lazii verba ex lib. 2. cap. 2. pag. 156. „Denique, inquit, fit ejusdem Prætorii (Hispanici) mentio in his vetustatis monumentis, quorum alterum Tarracone, alterum Dianii, utrumque vero „in Hispaniis erutum extat: in quorum altero nomen Provinciæ Hispaniæ citerioris „per solas literas H & C exprimitur, in altero pluribus literis HISP. CIT. item nomen Præfecti prætorio in altero per literas PPP, id est, Perfectiss. Præfectus prætorio: in altero, PR. PR. id est, Præfectus prætorio:

„	FORTISSIMO ET CLEMEN-	M. PORTIO CATONI
„	TISS. IMP. CAES. M. AVR.	XV VIR S. F. LEG. AVGG.
„	CARO INVICTO AVG P. M.	PR. PR. PROVINC. H. C.
„	PP. COS. II. PP. PROCOS. M.	ET IN EA DVCI TER-
„	AVRELIUS VALENTINIANVS	RA MARIQVE.
„	V. C. P. P. HISP. CIT. LEG. AVGG.	

Tergesti in Histria.

„	Q. PETRONIVS C. F. PVB. MODESTVS P. P. BIS LEG.
„	XII. FLAM. ET LEG. I. ADIV. VICT. TRIB. MIL.
„	COH. V. PR. PR. DIVI NERVAE ET IMP. CAES. NER-
„	VAE TRAIANI AVG. GERM. PROVINC. HISPANIAE
„	CITER. ASTVRIAE ET CALETIARVM FLAM. DIVI
„	CLAVDII DEDIT: IDEMQVE DEDICAVIT.

Vides primo loco nonnisi repeti prius Valentiniani saxum, quod Lazius pag. 131. jam dederat, & integrius est in Grut. 277: 7. in quo ante duo P. P. non P. i. e. Perfectissimus, ut Lazius tradit, sed C. i. e. Clarissimus legitur. Occurrit V. P. P. P. in saxis duobus Badii Macrini, quæ Lazius de titulo Perfectissimi agens p. 131. fin. habet, & de quibus ex Grut. 283: 9. & 281: 1. supra pag. LVI. & LVIII. a nobis actum est.

Valentiniani saxo in posteriore Lazii loco ad latus sinistrum objacet initium saxi, quod Dianii ponit, alii verius Tarracone, & plenius extat in Grut. 389 : 2. in quo LEG. AVGG. PR. PR. PROVINC. H. C. ad *Præfectum Prætorio* non quidquam adtinere non rudes omnis vetustatis non nesciunt. Hoc M. Portio Catoni, seu potius T. Claudio Candido, LEGato AVGG. PRo PRatore PROVINC. Hisp. Citer. erectum saxum in Grutero definit OPTIMO PRÆSIDI, quod & ipsum juvat interpretationem siglarum in lapide Valentiniani seu Grut. 277 : 7. supra p. LVIII. perpensam, *Vir Clarissimus Præses Provinciæ HISP. CIT. LEG. AVGG. PRo. PRatore.*

Tergestinum tandem saxum jam excussimus supra pag. LXIII. lit. D. ut addendum nobis nihil sit, nisi tædere nos harum LAZIANARVM ineptiarum.

XXVII.

Parisiensis interpretatio quarta.

Quo longior fui de interpretatione tertia BOZIANA, tanto brevior de Parisiensi quarta fieri studebo : quod nobis video licere, quia quæ contra primam & secundam adferre debui, ejusmodi fuere, ut & contra quartam fere jam sufficere videantur. *EXPræPositus Procurandæ (ou Præstandæ) Urbis SECuritati* valdene TIBI placet? Quænam tabule antiquæ extraordinarium hoc imperium *Præpositorum securitatem Vrbi præstantium aut procurantium* nos docent? Hujusmodi interpretationes figmentis Harduinianis quid interfunt?

In Cassiodori Var. Lib. IV. ep. 22. ad Argolicum Præf. Vrbi, & ep. 23. ad Arigernum Comitem, legimus, Theodericum regem decrevisse, ut Argolicus Præf. Vrbi cum quinque Senatoribus, Symmacho, Decio, Volufiano atque Cæliano, nec non Maximiano, causam Basilii atque Prætextati, magicis artibus involutorum, legitima examinatione pensarent : Arigernoque Comiti præcepta direxisse, ut reos elapfos ubicunque repertos ad Judicium quinquevirale duceret. Non modo Bosseus ad Cassiod. h. l. sed etiam Pancirolus ad Notit. Imp. Occid. cap. 4. p. m. 14. a. & Gothofredus ad Cod. Theodof. lib. 2. tit. 1. leg. ult. notarunt, Theodericum regem *Judicium Quinquevirale* Præfecto Vrbi de capite Senatorum cognituro sociasse ex lege Imperatorum Romanorum. Cum Cassiodoro, qui unus omnem hic meretur fidem, quam non convenit, quod Parisiis narrarunt?

Nescio quidem ego, primo unde prodierit in interpretatione Parisiensi quarta *judicium sexvirale*, cui præfuerit non Argolicus Præfectus Vrbi, sed Symmachus. deinde, Arigernum in sex judicum numero quintum locum tenuisse, Argolicum sextum. Postremo, quod primum ponere debuissim, Boëthium, qui Theoderico consilium dederit judicii sexviralis constituendi, quo tempore judicium ageretur, *præpositum fuisse procurandæ aut præstandæ urbis securitati.*

Hi videntur ingenii lusus, historiam Boëthii philosophi suaviter interpolantium narratiunculis ita comparatis, ut Diptycho Boëthiano sensus inferatur, non ex eo petatur. id quod quarta hæc interpretatio Parisiensis cum prima & secunda commune habet, ac si in diptycho Brixiano eventum quoddam Boëthii philosophi in libris non inveniendum, at ingenii sagacitate reperiendum, nobis sifteretur. quare interpretationi tertiæ BOZIANÆ tres reliquæ Parisiis natæ non modo anteferendæ, sed ne comparandæ quidem videntur.

XXVIII.

Sententia LEICHI.

Joh. Henricus LEICHIUS, qui literas, quæ ab humanitate nomen habent, Lipsiæ sedulus excolit & inlustrat, inscriptionem diptychi Brixiani sic legit: ANICUS MANLIUS BOETHIVS, V. C. ET INLUSTRIS, EXPRÆFECTUS PRÆTORIO, PRÆFECTUS VRBI, SECUNDUM CONSUL ORDINARIUS, ET PATRICIUS.

Literas EXPPVSEC interpretes vehementer exercuisse vidimus. non minus tortis eosdem eboris initium NAR. Thesi XX. p. xxxv. de ANIC. loco 1^o NAR. a TE divinatio dicenda me huc rejecisse pulere memor, quæ in dissertatione TVA Romana, jam desiturus de diptycho Brixiano verba facere, ad CL. de BOZE pag. (xxviii.) extr. scripsisti, hæc exscribo. *Superes*, inquis, *ut quoniam ad obscuriora quævis antiquitatis ænigmata dissolvenda nullus præstantior est Oedipus Regia Parisiensi Academia Inscriptionum & Bonarum Literarum, TE Optime CLAVDI, valde exorem, ut questioni quoque huic enodanda ejusdem intelligentiam adhibeas. Nisi me Davum, potius quam Oedipum, esse profiterer, aunderem & ipse ingenii mei vires in divinandi arte periclitari, & vatem agens pronuntiarem, literas, NAR, sculptoris errore ita dispositas fuisse, atque hoc modo collocari oportere, ANK; (leg. ANR;) insuper literam R æque imperite efformatam, in binas esse dividendam, scilicet IC, unde exurgant literæ ANIC, quæ Anicii nomen, Boëthii maxime proprium, ac proinde aliis ejus nominibus, ut vetera docent Monumenta, præferri solitum, in Brixiano etiam Diptycho designent. Paginæ TVAE (xxix.) verba prima, quibus ad aliud argumentum transiens, TE de eborarii, NAR pro ANIC scalpentis, imperitia, modo hariolatum, non quidem serio, sed jocando personam Oedipi sumsisse, intexuisti, supra th. XXI. p. xxxviii. lin. 24. jam exscripsi.*

Doctissimum LEICHIVM auctoritate TVA abreptum TIBI credidisse, NAR. significare ANIC, non perspexit amplissimus BOVHIERIVS, quum de prima diptychi litera N (volebat non de sola litera N. sed de tribus primis diptychi literis, seu de prima diptychi voce, NAR) nihil LEICHIVM dixisse ad me scriberet pag. 104. lin. 22. unde BOVHIÉRII *παράρρημα* correcturus, hanc eo occasionem mihi præbente, LEICHIVM suum ANIC ex Em. QVIRINI adsumsisse epistola rescribere, atque ad eo ab LEICHIO, quin & abs TE, qui malam LEICHIO viam præveris, dissentire debui pag. 317. ante quam TVAM mihi videre contigit epistolam. In confutando

TVO & LEICHII nostri ANIC quidquam nunc operæ a me porro impendi neuter vultis, quia meæ ad BOVHIERIVM epistolæ paginam quam dixi 317. jam legistis. ego autem in meis ad TE literis primis ita scripsi: *Video nunc ex TVA ad CL. de BOZE epistola, quod pag. (XXVIII.) extr. (XXIX.) init. non quidem serio, sed jocando, sumta Oedipi persona, eras hariolatus, id doctissimum LEICHIVM ex folio Sibyllæ recitatum, aut ex Jovis dipthebra prolatum credidisse. Nonne ut Jupiter Comicus Alcumenæ, sic QVI-RINVS se purgabit LEICHIO?*

----- Si quid dictum est per jocum,
Non æquum est, id te serio prævortier.

Utinam ne LEICHIVS hariolationem TVAM, de NAR interpretando ANIC, secutus, sed TIBI de unico Manlii Severini Boëthii consulatu verissima tradenti obsecutus esset. Ita enim figlas, EXPPPVSEC. CONS. ORD, quas optime legit EXPræfectus Prætorio Præfectus Vrbi SECundum CONSul ORDinarius, non distinxisset prave Præfectus Vrbi, SECundum CONSul ORDinarius. Sed de trium Boëthiorum consulatibus unicus thesi XXX. agere constitui post ea, quæ in antecessum scripsi ad Bouh. p. 332. lin. 26. & 31. Heic dicendum mihi est, Boëthium philosophum neutram Præfecturam, neque Prætorii, neque Vrbs, gessisse, quam in rem supra th. XX. p. xxxv. extr. xxxvi. init. & TE & MAZUCHIVM jam laudavi.

Præfecturam Prætorii (inquit ipse LEICHIVS pag. xxvii.) Boetium administrasse, nemo, si a Diptychi certissimo testimonio discedis, perhibet. At Boëthium philosophum Præfectum Prætorio numquam fuisse, certe quidem non ante, quam consul fuisset ordinarius, BOVHIERIVS adducendo Ennodii loco erudite evincit in suis, ut modeste vocavit, *Conjecturis* p. 102. lin. 28. quod contra LEICHII sententiam merito urget ceu ἀναλίγηλον, seu, ut ipse vocat, *deciso* p. 104. lin. 33. Ergo diptychum Brixianum Boëthii philosophi non esse, certissimum testimonium est ipsa Præfectura Prætorii in Diptycho literis EXPræfectus Prætorio tradita.

De Boëthii philosophi Præfectura Vrbs sic scribit LEICHIVS pag. (xxviii.) *fin.* Admotum vero gravissimo numeri Boetium, licet non disertis scriptorum testimoniis probari possit, videor tamen mihi locum, unde hoc cum magna veritatis specie colligi queat, in ejus Consolatione Lib. III. Prof. 4. reperisse. cet. Verba ipsa Boëthii in epistola ad Bouh. p. 275. lin. 26. jam dedi, & ab LEICHII πρεσβυτεία ita, spero, vindicavi, ut fatis pateat, non modo censum honores dedisse, sed etiam honores a censu datos censum minuisse; id est, non rectius ab Ovidio dictum esse,

In pretio pretium nunc est: DAT CENSUS HONORES.

quam a Boëthio, PRAETVRA, magna olim potestas, nunc inane nomen est, & senatorii CENSUS gravis SARCINA. Pulcerrime ad rem nostram Salmasius ad Spartianum in Hadrian. c. 3. p. m. 34. a. Prætura illis temporibus, ut omnes norunt, erat onus, non honos, cujus functioni erat obnoxius senatorius ordo.

XXVIII.

Sententia BOVHIERII.

INL. BOVHIERIVS, nostra sententia homo multa prudentia, summa doctrina, plurimo rerum usu, inprimis *δια παντός τῶ ἔργου* antiquitatis eruditæ monumentis cognoscendis & explicandis admirandum in modum deditus, illustrando diptycho Boëthii Brixiano manum admovit avibus tam bonis, & successu tam prospero, ut ceterorum interpretum doctissimorum labores curæ ejus multum cedere atque concedere videantur. cui tamen, quum sua scribere pararet, TVAM ad CL. de BOZE epistolam ad manus fuisse non puto, sed tantum Diarium Venetum: eundem, quæ Academia Inscriptionum Parisiensis, cujus & ipse Sodalis erat dignissimus, vir quippe primarum partium, ad TE scripsisset, nescivisse potius, quam scivisse, in animum induxi. Si scivit, ubique non incite dissimulat se scire, ne tantorum sodalium conjecturas contempsisse videatur. Tanto minus timide ego, animo fidentiore, non modo ab Italorum sententiis discessi, sed & Parisiensium explicationes improbavi, quod Divionensem interpretationem a Parisiensibus vehementer videbam discrepare. Longius certe distant Bouhieriana Parisiensibus, quam Divio Lutetia Parisiorum abest. Eruditissimus enim Divionensium Præses inscriptionem diptychi Brixiani sic legit. Numerius ANicius MANLIUS BOETHIVS V. C. ET INL. EX Præfectus Prætorio, Præfecto Vrbi SECUNDO, CONSUL ORDINARIUS ET PATRICIUS.

NAR. visum est MAZOCHIO nomen esse gentilium, ut supra p. XXXXII. th. XXI. *fn.* coepimus dicere. „Brixiani diptychi Boethius, *inquit* MAZOCHIVS pag. „(XXIV.) unde prænomen NAR. arcessiverit (a matre ne, an a majorum alio) aut quid „significet, quis facile expediverit? Sed tamen quia inter gentilium nomina non „alios facile quam NARIOS reperio ab ea syllaba incipientes (nam *Nardos*, *Nar-* „*cifos*, & si qua sunt alia in Indicibus propriorum nominum occurrentia, non mo- „ror, quippe quæ sint servilia ferme nomina, aut libertinorum cognomina) non „aliud relinquitur, nisi ut illud NAR. interpreter *NARIVS*, aut vero consueto de- „rivativo nomine, *NARICIUS*: idque tandiu certe, donec major lux sive a mo- „numenti ac libris, sive a consanguineorum & affinium hujus consulis nominibus „affulgeat. Sint interim *NARIUS MANLIUS BOETHIVS* tria consulis hujus nomina. „Primam diptychi vocem NAR. primo vocat prænomen, quam mallet, ut in sequen- „tibus, *nomen* dixisset. NAR. enim *prænomen* numquam fuit. rō NAR. gentilium „nomen haberi posse, *NARIUS*, etiam BOVHIERIO visum est pag. 101. *init.* ita ta- „men, ut splendore gentis *Anicia* Boëthiorum permotus paullo post ead. pag. *lin. 12.* „scripserit, *je suis fort tenté de croire, qu'on y a mal lu: NAR. au lieu de N. AN. lesquel-* „*les Lettres signifient, Numerius ANicius.* In meis ad Bouh. literis pag. 318. *lin. 32.* dixi „NAR. posse etiam legi *NARENIVS* vel *NARONIUS*. quo modo & *NARICIUS* Mazochio in „mentem venit, *consuetum derivativum nomen* vocanti. Haud nescio a nominibus gen- „tilitiis in IVS interdum alia in ICIUS derivata esse: v. g. *Cedius, Cedicius* cet.

NARICIUS tamen an quodam in monumento occurrerit Mazochio, lubens cognoscerem. De *Narenis & Naronis* saxa quædam citare operæ duxi loc. cit.

De NARONIAE gentis inscriptione, quam celeberrimum MVRATORIVM 1379: 9. (nescium a Fabr. ob ipsam gentem *Naroniam* jam datam Inscr. Cap. IX. p. 633. n. 283.) protulisse scripsi ad Bouh. p. 318. *extr.* addo, eandem ut ineditam ipsum MVRATORIVM jam dedisse e schedis Valeriis & Caponiis 1350: 2. & quidem ita, ut pro NARONIAE legatur HARONIAE.

Quæ ibi sequitur, 1350: 3. e schedis *Muratorianis*, missa etiam *Muratorio* a *Bimardo* suo, jam erat in Fabr. p. 60. n. 348. ad eamque provocavit ob gentem *Heduniam* postea Fabr. p. 626. a. C.

Quæ in Mur. præcedit 1350: 1. ab eodem immemore iterata 1467: 5. notaque non inlustrata sed obscurata est. quam notam non adscribo: nam vetat MVRATORIVS ipse, in Addendis & Corrigendis scribens „Pag. MCDLXVII: 5. Dele Notam, „& scribe F. C. SVO. idest *Fecit Conjugi Svo.* Propterea ad præcedentem Classem „spectat Lapis.„ Cur nescit, in præcedente Classe 1350: 1. semet dedisse? sed & hanc jam Fabrettum p. 313. n. 375. habere ignorat.

Fabrettus B. tantum dat, i. e. *Benemerenti*: ut & in aliis saxis sola sigla B. scriptum hoc vocabulum mihi occurrit. Vide Fabr. p. 571. num. XLVIII. alia enim nunc præteribo. *Muratorius Bene Merenti* more omnino magis solito, & plenius, at vix verius. Nam, quod omnibus adhuc latuit, hoc saxum ex ipsius possessoris quondam autographo jam dedit Græterus hunc in modum 1142: 3. *Rome, in domo Comitissæ a Zollerem.*

DIIS. MANIBVS
HIANTI. SECVN
DAE. F. C. SVO. B. V
IXIT. ANNIS
XXX

Græterus ex autographo Comitissæ.

In ed. Grut. sec. nihil notarum dederunt. Raritas figlarum C. SVO. B. exercuit *Reinesium*, 7^o B pro V interpretatum: ita enim invenio in ind. *Rein.* 20 „C. „SVOB. *Cum Svo Viro.* 3. MCXLII. apud Grut. „ Idem ad *Rupertum ep.* 35. p. 260. *lin.* 7. in exemplis H abundantis adfert HIANTHIS pro *Ianthis* in 2. (leg. 3.) pag. MCXLII. *Scaliger* in indicibus *Gruterianis* hunc lapidem nusquam memoravit, nisi ind. 23. seu nominum:

Hiantis Secunda. 1142: 3.

qui nominativus *Hiantis* post *Scaligerum*, forte & ex *Scaligero*, placuit *Reinesio*, quamvis HIANTHIS scribenti adspiratione bis posita. Quod si *Reinesii* conjectura ocum habeat, H non abundat, sed, ut aliis in lapidibus sæpe, trajectum est.
Malim

Mallim tunc HIAN TI esse genitivum mariti, pro IANTHI. Ita IANTHVM AV-
Gusti Libertum habet Mur. 918: 3. Si HIAN TI Gruteri non sit in lapide, sed alio-
rum HANTI: an HANTI hoc idem erit, quod ANTHI nomen frequentissimum?
T^o SECVNDA quidem certe aliorum præstare videtur T^o SECVNDAE Gruteri. An
hæc doctos Romæ viros ad lapidem, ibi adhuc, credo, extantem, tam diverse ex-
scriptum, tamque varie explicatum, quam curatissime inspiciendum, edendumque
excitatura sint nescio, sed opto.

Nunc de NAR. diptychi commentari pergimus. Postquam BOVHIERIVM ex-
scriptioni Brixianæ literarum trium NAR. diffidere videbam, audacior & ego factus
T^o NAR. varie corrigere & torquere cœpi, pag. 321. lin. 8. & 15. in FLAB. i. e.
FLAVIUS, aut in FLAVIUS ANICIUS: ibidem lin. 31. & 33. ligatas literas in diptycho
legi suspicatus, FLAVIUS AVRELIUS, aut ANICIUS AVRELIUS. Quæ fini ista tunc scripse-
rim, his verbis Bouhierio exposui pag. 322. lin. 18. ut quorum oculis diptychum ipsum
cernere contingit, bene & doctè oculis suis usi certos nos faciant, quid in ipso diptycho lega-
tur. in quo si NAR. legitur, uti TV & LEICHIVS adnatis, tum vero omnibus omnium
conjecturis eodem loco habitis, id est, valere jussis, redibo partim ad id, quod initio dixi
(pag. 316. extr. 317. init.) ex prima diptychi voce lecta reliquis diptychi verbis multum lucis
non accedere, non decedere; partim ad id, quod amplissimo BOVHIERIO in mentem primo
venit (venit & Mazochio, ut postea didici) NAR. initium esse nominis gentilitii, quo
Fl. Boethium consulem a. Cti 478, absque Brixiano diptycho esset, dictum fuisse ignoraremus.
Editis a me epistolis epigraphicis quum haud multo post TVRICVM ipse venisses,
QVIRINE Eminentissime, idemque sapientissime BRIXIANORVM EPISCOPE, &
peracto ex animi sententia itinere Helvetico per Alpes Ræticas in TVAE Dioceseos
metropolin BRIXIAM rediisses, nihil habiti antiquitatis, quam verum ipsum de NAR.
ex TE quærere. Ego vero (ita scripsi in extremo literarum mearum ad TE prima-
rum) serio TE etiam atque etiam rogo quæsoque, ut initium literarum diptychi Boëthiani,
earumque ductus atque flexus omnes & singulos, maximos, medioximos, minimos, visumque
non prudentissimum fugientes, serio contemplatus, serio respondeas ad ea, quæ pag. 322. lin. 19.
a me posita sunt. Cujus enim oculis fidem habebō majorem, quam QVIRINI oculatissimi,
Ambobus mihi qui carior est oculis?

Quid respondisti? Ipsius Diptychi imaginem, quam recens ærea tabella perfecte ex-
primendam curavisti, sine mora a TE accepi, visisque in ea tribus omnino literis
NAR, quasi radiis solis scriptæ essent, statim ex animo delevi omnes literarum illa-
rum trium mutationes, quæ Bouhierio & mihi subnatæ erant. quas non dubito, TE,
quum primum legeres, eodem loco habuisse, quo nos TIBI natum, & LEICHIO
adoptatum ANICIUS habuimus.

Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis.

Addo, quod TVVM beneficium TIBI reddat jucundius. Si primæ diptychi literæ
legerentur NAR. (quas ita legi jam certus scio) inde reliquis diptychi verbis mul-
tum

tum lucis non accessurum, non decessurum esse; ex NAR. nonnisi nomina Boëthii in diptycho expressa auctiora cognosci, ipse mihi persuaseram, ut modo ex meis ad Bouh. literis repetii. at ipsa diptychi imagine, quam TIBI gratissimus debeo, diligentius considerata penitus intellexisse mihi videor, tres literas NAR. nomina Boëthii consulis non augere, sed ipsi imagini multum lucis accendere, & vicissim ab imagine egregie illustrari posse: quod *ἔυσημα* Parti III. seu *καλασπευασινῆ* reservari, TVOque iudicio subijci dignum iudico.

Tertium P. post EX*Præfectorio* non nominandi sed auferendi casu effert Præses illustris, *Præfectorio Vrbi SECundo*, seu *SECundum*. quia *ἔ* EX ante duo PP expressum, ante tertium P *ἀπὸ κοινῆ* repeti debere statuit. De EX præmitti dignitatibus solito latius egi in resp. ad Bouh. inde a pag. 285. *lin.* 30. idque ita, ut deinde pag. 290. *lin.* 16. & pag. 324. *lin.* 34. non omiserim expendere, an repetitio *ἔ* ex, ingeniosissime a BOVHERIO excogitata, cum in Stiliconis seu Divionensi, & Turicensi, tum in Boëthii seu Brixiana epigraphæ bene procedere videatur. mihi que tunc minus placebat, quia eruditissimum Præsidem intelligebam in cogitationem de *ex* ita elliptico venisse, non quod istam ellipsin niti sciret exemplis certis, quorum certe nullum adduxit; sed quod eam credebatur necessariam in Stiliconis & Boëthii diptychis, ne consules ordinarii, ille consulatum & magisterium militum, hic consulatum & præfecturam urbis, simul gessisse sint dicendi: id quod tamen a seculi quarti & quinti moribus minime fuit alienum.

Si vir optimus diutius nobis & literis bonis superfuisset, forte suam *ἔ* ex ellipsin exemplis quibusdam firmasset. quæ post fata viri mihi observata sunt, vide. Grut. 309: 2.

FABIAE. ACONIAE. PAVLINAЕ. C. F
FILIAE. ACONII. CATVLINI. V. C
EX. PRAEF. ET. CONSVLE. ORD. VXORI
VETTI. PRAETEXTATI. V. C. PRAEF.
ET. CONSVLIS. DESIGNATI. cet.

unde Scal. ind. 5. *Ex Præfectorio & Consule ordinario.* 309: 2. Si extense CONSVLE casu sexto sit in saxo, ut & Apianum video habere, qui tamen Beneventi ponit, non Romæ, fol. 101. loc. 2. indubia est *ἔ* ex *ἀπὸ κοινῆ* repetitio. Sed sunt, quæ dubiam nobis faciant lectionem CONSVLE. Jac. Mazochius, ex quo dedit Gruterus, se non vidisse testatur in Corrigendis suis ad fol. 57. loc. 5. & qui Romæ vidisset, si Beneventi lapis, non Romæ fuit? Smetius autem fol. 153: 5. & Grut. 309: 3. ex Panvinio, *Beneventi in Samnitibus* ponentes non CONSVLE, ut Apianus, sed gignendi casu CONSVLIS habent. In Grut. ed. sec. 309: 2. 3. non monent eandem esse, licet diversis locis extare dicatur. at Holtheus in suis Addendis ad 309: 2. 3. Smetium cum Grutero componens, *epigraphen* 3. inquit, *aliam esse quam est secunda vix credam.*

Apud

Apud Amm. Marcellin. 19 : 12. legitur *Simplicius Philippi filius ex Praefecto & Consule*. Doctissimum commentatorem Valesium, cujus verba quaedam supra th. XVIII. p. xxxi. *extr.* adduximus, de Philippo praefecto praetorio, & consule a. Cti 348. collega Saliae, verba Ammiani interpretari miror. Vehementissime enim obstat vox *filius* inter *Philippi & ex Praefecto & Consule* media. ne dicam, Ammianum tacere minime voluisse, in quibus honoribus fuerit Simplicius, qui *inter primos ductus, & reus postulatus, quod super adipiscendo interrogasse dicebatur Imperio*. Fuit igitur *Simplicius Philippi* (consulis a. Cti 348, clarissimi viri,) *filius ex Praefecto & Consule*. i. e. *ex consule*, non ordinarius, cujus adeoque nomen in Fastis ne quaerendum quidem, sed honorarius tantum, forte ob patris merita praclarissima. Forte eadem gratia & *praefecturam* (utram nescimus, Praetoriine, an Urbis, conf. supra th. XVIII. e. pag. xxx.) nonnisi *honorariam* acceperat, dictus inde Ammiano *ex Praefecto*.

Ut Valesius verba Ammiani de Simplicio filio Philippi, de patre Philippo : sic Muratorius alium Philippi filium Antigonum de ipso Philippo consule, Antigoni nomine male augendo, accepit, deceptus mala lectione saxi graeci, quod ut ineditum profert in Classe V. seu Consulium ad a. Cti 348. quo consules fuerunt Fl. Philippus & Fl. Salia. „Fortassis, *inquit* p. 379. *loc.* 2. ad hujus *Philippi* Consulium patrem „pertinet inscriptio subsequens. Et secundum conjecturam istam Consul noster appellatus fuisset FLAVIVS ANTIGONVS PHILIPPVS. *Roma, in Sanctae Mariae Majoris. E schedis meis, & Fratris Jucundi.*

” Τ Ο Ν . Π Α Σ Η Σ . Α Ρ Ε
 ” Τ Η Σ . Ε Ι Δ Η Μ Ο Ν Α . Φ Ω Τ Α
 ” Φ Ι Λ Ι Π Π Ο Ν . Π Ρ Ε Σ Β Υ Ν . Α Ο
 ” Ν Ι Η Σ . Ε Ν Π Ε Ρ Α Μ Ο Ν . Σ Ο Φ Ι Η Σ
 ” Α Υ Σ Ο Ν Ι Ω Ν . Υ Π Α Τ Ο Υ . Π Α Τ Ε Ρ Α . Κ Α Τ
 ” Τ Ο Ν . Α Ν Τ Ι Γ Ο Ν Ο Ι Ο . Θ Ρ Ε Ψ Ε . Μ Α Κ Η
 ” Δ Ο Ν Ι Η . Δ Ε Ξ Α Τ Ο Δ ' Ε Ι Τ Α Λ Ι Η

„Tetrastichon hoc ita reddo. *Omnis Virtutis Fulgidum Lumen, Philippum Senem, Aoniae Peritum Sapientia, Latinorum Consulium Antigoni Patrem Inclytum, Nutriuit Macedonia, Excepit Verò Italia.* „ Nesciebat verius jam prodiisse, & Neapoli poni in Grut. 1098 : 8. unde & Valesius ad Amm. Marcell. *loc. cit.* *Philippum Macedonia oriundum fuisse* scribit *testari veterem Inscriptionem Neapolitanam, quam referat Gruterus pag. 1908.* Male ita editio Gronoviana pro pag. 1098 : 8. Tetrastichon elegiacum ex Grutero & Muratorio sic lego :

Τὸν πάσης ἀρεῆς εἰδήμονα Φῶτα, Φίλιππον,
 Πρέσβον, κ' ἀονίης ἐνπέεχμον σοφίης,
 Ἀυσονίων ὑπάτον, πατέρα κλυτὸν Ἀντιγόνοιο,
 Θρέψε Μακεδονίη, δέξατο δ' Ἑλλάγη.

Si igitur ex ἀπό κοινῆς repetendi exemplum indubium detur, interpretationi BOVHIERII acutissimæ EX Praefecto Praetorio, (ex) Praefecto Vrbi SECundo me accessurum scripsi
 U 2 pag.

pag. 325. med. Exemplum indubium videtur in Ammiano Marcellino dari. indubium hac gratia, quia *consule* expanse scriptum est. BOVHIERII itaque lectioni (*ex*) *Praefecto Vrbi* SECUNDUM accedant, qui volunt, quotquot volunt. Non adversabor: non repugnabo. Vnus tamen mihi restat scrupulus, qui me male habet. Si nomen dignitatis posterius, cum quo alterum (*ex*) non legitur denuo expressum, auferendi casu extense scriptum non est, sed aut initiali litera sola, aut primoribus tantum literis, ut quo casu debeat efferri posterius dignitatis vocabulum, ambiguum relinquatur: num & tunc, ob prius *ex* expressum & priorem dignitatem ablativo casu adsciscens seu regens, alterius (*ex*) ἀπὸ τοῦ νοῦς intelligendi necessitas statui debet? Aut fallor, aut ipse BOVHIERIVS hanc nobis legem non fixisset, & de (*ex*) elliptico forte ne cogitasset quidem, si agnovisset, etiam sine (*ex*) sensui æque ac verbis integritatem suam constare, ut paullo ante p. LXXVIII. med. jam occupavi dicere, & Diptychi Boëthiani literas P. V. ab inl. viro, veterano in antiquitatis studio, insigniter (*ex*) *Praefecto Vrbi* lectas, sine (*ex*) quoque sensu integerrimo *Praefectus Vrbi* legi posse in Parte III. seu Κατασκευασμῶν urgebo. quam jam nunc inciperem, nisi expositis hactenus & ad examen vocatis interpretum Diptychi Boëthiani doctissimorum, quotquot mihi, innotuerunt, sententiis, de *Boëthiorum consulatibus* dicendum videretur: quia interpretibus quibusdam hos ipsos *Boëthiorum consulatus* non satis perspectos magnæ fraudi fuisse video. de quo etsi quædam, ubi ubi necessitas summa erat, jam monuerim, in majore tamen luce causâ hæc omnis ponetur, & ad nonnullorum opiniones magis infirmandas conducet, de *Boëthiis consulibus* data opera si viderimus, atque adeo cum viderimus: nam de iis videre certum est, quod in Parte hac secunda extrema nos facturos esse, thesios duodevicesimæ litera *a. extr.* ostendimus pag. XXVIII.

XXX.

De Boëthiorum Consulatibus.

Repeto laterculum, quem ex Marcellini Comitibus Chronico ad Bouh. pag. 333. lin. 26. posui de annis Cti

485. IND. VIII. Symmacho solo Cof.

487. IND. X. Boetio solo Cof.

510. IND. III. Boetio solo Cof.

522. IND. XV. Symmacho & Boetio Cof.

Petrus Bertius in præfatione, quam editio Boëthii Consolationis Philosophiæ Hackiana a. 1671. repetiit, non nisi unum Boëthium consulem agnovit, pessime opinatus, Boëthium philosophum ter consulem fuisse: primum a. Cti 487. iterum a. Cti 510. tertio, cum Symmacho focero, a. Cti 522. Filios duo Boëthii, Patritium & Hypatium, annis tredecim post patrem consules fuisse a. Cti 500. Hunc Bertii errorem ingentem secutus est magnus Vossius de Poët. Lat. cap. 5. p. m. 63. *extr.* de Boëthio philosopho, *Vir*, inquit, *fuit*
Consu-

Consularis, & filios duos Patricium, & Hypatium, Consules vidit. Si verissimum esset, quod falsissimum est, Boethium philosophum a. Cti 487, consulatum gessisse, qui, quæso, in mentem venit Bertio & Vossio, consules ambo a. Cti 500. Patricium & Hypatium fratres fuisse, eosque patre Boethio philosopho natos? Patricius fuit Phryx, & Hypatius fororis Anastasii Imp. filius, ut ex Procopio adtulerunt Pagius Crit. Ann. Baron. & Relandus in Fast. Consul. uterque ad a. Cti 500.

„Facile nimis admittit Philippus a Turre, Adriensis Præful, Boethium seu *rursus*
 „seu *iterum* Consulem fuisse, quum de unico tantum hujus Consulatu certo constet,
 „anno nimirum DX. gesto. Adnotatum quidem reperio Boethii Consulis nomen in
 „Fastis, præter eum annum, etiam anno CCCCLXXXVII. atque insuper anno
 „DXXII. at scio, Baronium inde adductum ad credendum, non iterum tantum,
 „sed tertio renunciatum fuisse Consulem Boethium Philosophum. Hunc tamen neu-
 „tro loco designari nullus dubito. Non quidem anno CCCCLXXXVII. nam Fla-
 „vius Boethius, cui Consulatum eo anno Fasti omnes adscribunt, ea tantum de
 „causa, ut Pagius ad ipsum annum observat, a Baronio, & ab Onuphrio etiam
 „Panvinio cum Boethio Anicio Manlio Severino confunditur, quod extet Epistola
 „Felicis Papæ ad Sanctum Cæsarium Arelatensem Episcopum data *post Consulatum M.*
 „*Sever. Boetii V. Cl.* At ex Codice manuscripto Arelatensis Ecclesiæ, teste Jacobo
 „Sirmondo, aperte evincitur, Epistolam illam perperam adscribi Felici III. quum
 „spectet ad Felicem III. & præterea perperam in eandem intrusum fuisse ex imperiti
 „librarii errore *M. Sever. Boetii* nomen, quum legendum sit *post Consulatum Marvortii.*
 „Nec etiam designari anno DXXII. quo Consules processisse Symmachum, & Boe-
 „thium, Fasti testantur; nam Boethius hic filius fuit Boethii Philosophi, quemad-
 „modum Symmachus, ut ostendit Sirmondus in *Notis ad Ennodium*, cui sententiæ Pa-
 „gius ad eum annum DXXII. subscribit. Itaque unum dumtaxat Consulatum, an-
 „no scilicet DX. gessit Boethius Philophus, qui in Diptycho Brixiano repræsentatur.
 Hæc TV in diss. Romana pag. (xxvii.) doctissime & verissime scripsisti: modo ne
 addidisses, qui in Diptycho Brixiano repræsentatur. In sententiam Sirmondi & Pagii de
 Boethiis tribus consulibus, avo, patre, & nepote, jam diu me discessisse scripsi ad
 Bouh. p. 333. *init.* Laudavi ibidem *ὁμοψήφως* Bimardum & Bouhierium, quibus
 MAZOCHIVM adjicere nondum poteram, Diatriba ejus tunc nondum instructus.

Sententiæ omnino verissimæ de *trium Boëthiorum consulatibus unicus* gravissimum pondus addit, in nullo antiquitatis monumento, quorum aliquammulta in ep. XX. ad Bouhierium adduxi, Boethium quemdam consulem legi *consulem iterum*, nedum tertio fuisse. v. ad Bouh. p. 332. *lin.* 38. & p. 339. *lin.* 13.

Recte MAZOCHIVS pag. (xx.) *valide verisimile fieri* (quis enim id præstare ausit?) *primum illum consulem Boethium anno 487. signatum, philosophi patrem fuisse.* Videbis & mihi ita placuisse, Boethium consulem a. Cti 487. Boethii philosophi consulis a. Cti 510. patrem fuisse, non quod certo antiquitatis testimonio id constet, sed quia, quod adversetur aut repugnet, non reperitur.

Puto me porro ire, qua ducat verisimilitudo (quis enim & hoc præstare aufit?) si Boëthii consulis a. Cti 487. patrem, adeoque Boëthii philosophi consulis a. Cti 510. avum fuisse dicam Boëthium senatorem nobilissimum, Præfectum Prætorio, peremptum a. Cti 454. qui consul numquam fuerat. de quo viro veterum testimonia compluria non profero, quia nobis sufficiunt, quæ th. XVIII. lit. ε. p. xxxii. lin. 3. adtuli. Quam vero dixi verisimilitudinem temporum ratio num obscure suadet? num heic quidquam, quod obstet, aut officiat, invenitur?

Ab Adriensis Præfulis explicatione Eminentiss. QVIRINVS discedens, Boetium bis Consulem processisse, argumentis a Sirmondo & Pagio allatis negat, errore librariorum Flavio Boetio consulatum a. 487. in Fastis adscribi, Symmachum & Boetium a. 522. Consules, philosophi filios esse, ipsum non, nisi semel, ea dignitate functum, docet. Hæc *καρίεστος* LEICHIVS pag. (xxvi.) qui in referenda TVA de unico Boëthii philosophi consulatu a. Cti 510. gesto sententia dum brevis esse voluit, obscurus factus, quæ de Boëthio consule a. Cti 487. tradideras, corrumpit, & ea TE induxit commentantem, quibus TVVS & animus & calamus quam longissime aberat. Tantum enim abest, ut errore librariorum Flavio Boetio consulatum a. 487. in Fastis adscribi in TVA ad CL. de BOZE epistola scripseris: potius Flavio Boethio consulatum a. Cti 487. Fastos omnes adscribere in ea apertissime scripsisti. Hunc autem Flavium Boëthium a. Cti 487. consulem, fuisse Boëthium philosophum, seu Anicium Manlium Severinum Boëthium negasti post Pagium, qui contra Baronium ad a. Cti 487. Num. I. & ad a. Cti 488. Num. IV. verissime observavit, Papæ Felicis III. epistolam perperam Papæ Felici III. a Baronio adtributam esse, quod in ea *P. C. M. Sev. Boetii V. C.* legeretur errore librariorum: quem Sirmondus emendarit ex codice MS. Arelatensi, optime habente *P. C. Mabortii V. C. i. e. Post Consulatum Mavortii Viri Clarissimi*, adeoque a. Cti 528. Mavortius enim consul fuit a. Cti 527. plenis nominibus suis, ut th. XX. p. xxxvii. lin. 21. vidimus, *Vettius Agorius Basilius Mavortius* dictus. Qui TVA & LEICHII verba, integre a nobis adducta, inter se comparant, rem ipsam tenebunt.

In eadem diss. TVA Romana sic pergis: „Papebrochius in *Act. Sanctor. ad diem* „27. Maii cap. II. *Comment. de S. Joanne Papa I.* dubius primum hæere videtur, num „Symmachus, & Boethius eo anno DX. (volebas scribere DXXII.) Consules, fue- „rint seniores illi, quorum utrique Consulatus jam alius obtigerat (Symmacho Boë- „thii philosophi focero a. Cti 485. & Boëthio philosopho Symmachi genero a. Cti 510.) „an vero Boethii senioris filii; isque paulo post primam sententiam amplectitur. Mi- „nime tamen iis assentitur, qui in Boethio Consule anno CCCCLXXXVII. Boethium „Philosophum agnoscunt, imo diserte prodit hunc illius filium fuisse; quocirca Pa- „gus (ad a. Cti 510.) dormitasse videtur, dum Papebrochium inter illos recenset, „qui eundem ipsum Boethium, egregium Philosophum, Consulem anno illo (Cti „487.) processisse, falso affirmarunt. „ Ab hac sententiæ Papebrochii fluctuantis enar- ratione TVA discordant, quæ ab LEICHIO pag. (xxx.) sic scripta sunt: *Baronius,*
ipsam

ipsum Philosophum eo anno (Cti 487.) consulatum gessisse, censet, eamque sententiam, quamvis dubitanter, Papebrochius amplexus est. Papebrochium a TE citatum non citat ibi LEICHIVS, citat autem mox pag. (XXXI.) not. y. Amicum me manere & QVIRINI & LEICHII cupio. Hostes nos umquam esse, Musæ omnes prohibessint. Vter vero in enarranda Papebrochii sententia veritati plusve minusve litaveritis, salva amicitia nostra libere pronuntiarem, nisi Papebrochii curis carerem. quibus destitutus, & ob id ipsum - - certo compescere puncto

Nescius examen, - - - - -

si in TVAS partes propenderem, & LEICHIVM, quem in exponenda TVA de Flavio Boëthio consule a. Cti 487. sententia lapsus esse, nihil circuitione usus dixi, præterea in pronuntianda Papebrochii sententia aberrasse dicerem, dicerer ab LEICHIO ποιείν καὶ πρός κλισίαν. Aestimant itaque vestras, TVAM & LEICHII, de Papebrochio παραδόσεις ἐναντιοφανείς æqui rerum arbitri, quibus notarum Papebrochianarum inspiciendi copia datur.

Ab LEICHIO, qui veterem aviam de pulmone non avulsit, & Symmachum & Boëthium a. Cti 522. consules Boëthii philosophi filios duo fuisse agnoscere non ausus, eos Symmachum, Boëthii philosophi ficerum, eodem consulatus munere jam semel Anno CCCCLXXXV. (ita emendandum esse, quod in LEICHII libro pag. (XXXIII.) male CCCXCIV. editum est, jam ad Bouh. scripsi pag. 333. lin. 12.) perfunctum; & ejusdem Symmachi generum, ipsum Boëthium philosophum, qui primum consul a. Cti 510. processerat; credit fuisse pag. (XXXII.) discessionem merito fecit BOVHIERIVS, in sua Diptychi Boëthiani explicatione ad me missa his usus verbis pag. 104. lin. 30. *Outre qu'il ne raporte aucune preuve de ce fait, il répond mal au passage, où Boëce parle du Consulat de ces deux fils, & qui paroît bien précis. Si vera esset sententia ab LEICHIO adoptata & resuscitata, in veterum libris Fastorum consularium a. Cti 522. non Symmacho & Boëthio Coss. sed Symmacho II. & Boëthio II. Coss. legeremus. quam iterati a Boëthio consulatus notam Fastis omnibus, addo & lapidibus omnibus, ignorari, ab aliis & a me aliquoties jam animadversum est. Frustra eruditionem suam prodigit LEICHIVS, exempla consulum vix e pueris egressorum conquirens, ut Boëthii philosophi filios ætate puerili consulatum tantum honorarium gessisse sibi magis quam aliis persuadeat. Novæ huic LEICHII sententiæ quid magis repugnat, quam is ipse, quo uno nititur, locus Boëthii, quem ita in Consolatione lib. II. profa 3. Philosophia adloquitur. *Si quis rerum mortalium fructus ullum beatitudinis pondus habet, poteritne illius memoria lucis quantalibet ingruentium malorum mole deleri? cum duos pariter consules liberos tuos domo provehi sub frequentia patrum, sub plebis alacritate videris; cum eisdem in curia curules insidentibus tu regie laudis orator, ingenii gloriam, facundiaque meruisti: cum in circo duorum medius consulum circumfusæ multitudinis expectationem, triumphali largitione satiasti. Dediti, ut opinor, verba fortune, dum te illa demulcet, dum te, ut delicias suas, fovet. Munus, quod nulli umquam privato**

ommodaverat, abstulisti. Qui hæc Philosophiæ Boëthianæ verba consolatoria [quibus eam, prætereuntem sumptas Boëthio in adolescentia negatas senibus dignitates, ad singularem felicitatis Boëthii cumulum venire delectavit] de filiis Boëthii philosophi duobus, consulibus non ordinariis, sed tantum honorariis seu codicillaribus, accipi posse contendit, næ magnum is onus suscipit, quo se non ante levatum sentiet, quam antiquitatis testimoniis testatum reddiderit, in consules tantum codicillares verba Philosophiæ Boëthium consolatæ quadrare eodem jure, quo ea consulibus omnino ordinariis convenire ambiguum nemini est. Soliti sunt consules ordinarii in novi anni auspiciis, seu ipsis Kalendis Januariis summo mane domo provehi sub frequentia patrum, sub plebis alacritate. Legatur vel Ovidius hæc gaudia, quibus Roma absens, & exul, animo non æquissimo carebat, suavissime canens *Ex Ponto Lib. IV. Epist. IV. & IX.* De consulibus tantum honorariis seu codicillaribus idem esse factum unde nobis fides fit? Alia non addo: quia ad Partis hujus II. finem remis velisque propero.

Cuiusnam trium Boëthiorum consulum est diptychon Brixianum? Si sententias numerari æquius esset, quam ponderari, vinceret TVA, Eminentissime QVIRINE, sententia. Censes autem sic pag. (XXVII.) *Boëthius Philosophus, qui a. Cti 510. consulatum gessit, in Diptycho Brixiano representatur.* Idem visum est II. auctori Diarii Veneti Tomo XXVIII. pag. 29. esse *del famoso BOEZIO* (integrum Veneti auctoris locum dedi supra th. XVII. pag. xxvi. *extr.*) III. IIII. V. Triumviris eruditibus Brixiensibus. VI. Philippo a Turre. VII. VIII. VIII. X. Quatuorviris Regiæ Parisiensis Academiæ Inscriptionum, aut potius omnibus Academiæ istius inclutissimæ Sodalibus nobilissimis, *μὴ φανῶ.* XI. Jo. Henr. Leichio. XII. Jo. Alberto Fabricio *Bibl. Lat. Tom. III. pag. 203. & pag. 579.* In Italiâ unus *Mazochius*, unus in Gallia *Bouhierius*, in alia omnia iverunt. Horum neutri Boëthius philosophus probatus est, sed alius. Illi Boëthius, Boëthii philosophi filius, consul cum fratre Symmacho a. Cti 522. Huic Boëthius, Boëthii philosophi pater, consul a. Cti 487. quem & mihi unice placuisse, in Epistolis Epigraphicis legisti. a qua me sententia ne transversum quidem unguem dimovet bicornis argumentatio MAZOCHII pag. (XXII.)

In textu ipso adseverat, *Boëthium* diptychi non posse eum esse, qui a. Cti 487. consul fuerit. Cur? quia, *qui anno 487. consulatum iniiit, is consul solitarius fuit.* Nos id supra th. XXI. p. xxxxi. *iniiit.* abjecimus, testati, duplicis CC in ECCONS potestatem MAZOCHII somnium esse.

Neque magis nos vulnerat alterum ejusdem telum in nota (28) expromptum.
 „In Marcellini Fastis anno 487: *Boetio solo Cos.* Chronicon Alex: *Βοηθῆς μόνος* i. e.
 „*Boethio solo.* Ac totidem verbis in Fastis Florentinis major. quos laudat Relandus.
 „Sed & in Actis Romanæ Synodi de restituendis lapsis habitæ *Boethius* sine Collega
 „consul

„consul signatur in hunc modum : *Fl. Boetio V. C. consule* &c. apud Baronium. Ex „quo aliud etiam conficitur argumentum ut ostendatur, Brixiani diptychi Boethium „ab anni 487. consule esse diversissimum; quippe quum huic *Flavii* prænomen sit, „ille NAR MANLIVS BOETHIVS inscribatur. „ *Flavii* five prænomen, ut MA- ZOCHIVS cum multis vocat, five nomen gentilitium, v. epp. epigr. pag. (30) (31) quam parum nos juvet in diptycho Brixiano, brevi docebo. Si nominis *Flavii* ab- sentia Boëthium consulem a. Cti 487. excludit, nonne absentia nominum *Anicii* & *Severini*, quibus Boëthium philosophum nominatum fuisse novimus, Boëthium con- sulem a. Cti 510. magis excludet? Hoc MAZOCHIVS, cui Boëthius philosophus displicuit, manu utraque largitur. Sed pergo: Si nominis *Flavii* absentia Boëthium consulem a. Cti 487. excludit, eadem ejusdem nominis *Flavii* absentia Boëthium consulem a. Cti 522. MAZUCHIO placitum eodem jure excludet. Hunc enim Boëthium Mazochianum seu nepotem, æque ac Boëthium Bouhierianum meumque seu avum, *Flavii* nomine insignitum esse possum docere. Non utar contra MAZO- CHIVM inscriptione Gudiana, MAZUCHIO ex Relandi Fastis cognita & adducta pag. (XXXIII.) not. (31.) FL. SYMMACO ET VOET . . quæ ego ad Bouh. pag. 320. *lin.* 33. interpretatus sum *Flavii* Symmacho & Boëthio consulibus, a. Cti 522. MAZUCHIVM autem non dubito *ἐπιγράμματα* legisse FLAVIO SYMMACO ET VOET . . potestque MAZOCHIVS pertendere, fratri tantum priori Symmacho *Flavii* nomen fuisse: quo modo & ind. Gud. 22. tantum *Voet*, non *Fl. Voet* habet. Sed si sci- verit MAZOCHIVS, in Mur. 2003: 1. legi F. F. II. SIMMACO ET BOETIO VV. par hoc fratrum consulum eodem *Flavii* nomine gavisum esse, non negabit. Vid. ad Bouh. pag. 351. *lin.* 17. Si igitur ex absentia *Flavii* nominis argumentum rite depromptum est a MAZUCHIO, Diptychon Brixianum neque ad *Flavium Boëthium* consulem a. Cti 487. neque ad *Flavium Boëthium* consulem a. Cti 522. referri potest. An ergo ad Anicium Manlium Severinum Boëthium consulem a. Cti 510. licet & *Anicii* & *Seve- rini* nomina absint, & dignitates EXPPVSEC vehementissime, ut antea demon- stravimus, obstant? Ita nobis quartus aliquis Boëthius, isque consul ordinarius, erit quærendus, nusquam inveniendus. Viden' quo rem deducat MAZOCHIVS cum suo *Flavii* prænomine. Quum & Boëthium avum, & nepotem Boëthium, *Flavii* nomine usos videam, nollem ego quidem certe negare, Boëthium etiam philoso- phum eodem *Flavii* nomine, quod a patre acceperit, & in filios suos transtu- lerit, dictum fuisse, licet cum reliquis ejus nominibus in ejus libris non compareat. Nam

In magna nominum ejusdem hominis caterva non semper omnia simul sunt adscripta, sed quædam tantum, ceteris omiſſis: quam causam fere puto esse, cur haud raro *Flavii* nomen sub Imperatoribus Romanis posterioribus de eodem homine clarissimo modo adsit, modo absit. Vide quæ de FLAVIIS ARBITIONE ET LOLLIANO CONS. scripsi ad Inl. BLAVRERVM meum pag. (31.) -- (35.) *lin.* 25. quibus heic commode addo, in vetere libro *Anonymi de Præfectis Vrbi* pag 390.

T. XI. Græv. ad a. Cti 342. corrupte legi *Filollianus Mavortius* : quod haud cuncter emendare *Fl.* (i. e. *Flavius*) *Lollianus Mavortius*.

Partem II. ἀνασκευασμένην, in qua diversas doctorum interpretationes diptychi Boëthiani, quod neque Boëthium philosophum, neque hujus filium patri cognominem, exhibeat, examinavi, clausurus; & in Parte III. κατὰσκευασμένη, ex tribus Boëthiis consulibus primum, Boëthium consulem a. Cti 487. in ebore Brixiano conspici, existimaturus; prima Mazochianæ paginæ (xxi.) verba hujus partis meæ II. ultima facio.

„At exoptulabunt, credo, Brixiani cives ornatissimi, ægre passuri, eripi sibi „de manibus tanti illius viri monumentum. Atqui ego contendo, nihil ob istam „causam de eboris pretio decessurum; atque adeo multo illud fore posthac pretio- „sius, si, quum Boëthii philosophi rebus gestis plenæ sint historiæ, deque ejusdem „nominibus ac dignitatibus librorum ejus epigraphæ loquantur: per istud demum „auro carius ebur alter Boethius cum suis nominibus & dignitatibus in lucem pro- „feratur, cum eruditæ cavæ majore favore & gratia.

VALE Mæcenæ QVIRINE, præstantissimum literarum decus. TVRICO Helvetiorum, prid. Kal. Jul. MDCCXXXVIII.

